DISPUTATIO

DE

ORIGINE CARMINUM,

QUAE PRIMUS PSALTERII LIBER CONTINET,

UTRUM SINT CONDITA ANTE EXSILIUM BABYLONICUM
AN POST JUDAEORUM REDITUM E CAPTIVITATE.

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI AUCTORITATE

IN ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA

AD HONORES LICENTIATI THEOLOGIAE

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI NOVEMBRIS MDCCCXCI HORA X

IN AULA PUBLICE DEFENDET

ERNESTUS SELLIN,

DR. PHIL. ET CAND. THEOL.

ERLANGAE ET LIPSIAE

PROSTAT APUD A. DEICHERTI SUCCESSOREM

(G. BÖHME).

MDCCCXCII.

PATRI MEO CARISSIMO.

Index.

A. Prooemium.

§ 1. Praefatio.

Quibus temporibus psalmi sint compositi, quamvis multum et varie sit disputatum a multis hominibus doctis, tamen ne hodie quidem certi quidquam demonstratum esse videtur, sed etiamnunc docti inter se valde dissentiunt. Qua re effectum est, ut multi hanc disceptationem plane vanam neque amplius suscipiendam esse dixerint. Fuerunt enim, qui commoti partim varietate sententiarum, cum eundem psalmum ab alio Davidis regis ab alio Maccabaeorum temporibus attributum viderent, partim taedio audaciae hominum quorundam, qui non solum aetatem sed etiam diem et horam fere, qua unusquisque sit compositus, se intellexisse affirmabant, amplius disserere nollent, quando psalmi sint conscripti. Accessit, quod carmina permulta, cum contineant precationes vel hymnos neque ad singulas res annalibus traditas spectent, quibus temporibus sint composita, quominus statuatur, ipsa natura sua impedire videntur. Quid mirum, quod sententia illa comprobata est a multis? (cf. Hupfeld: die Psalmen übersetzt und ausgelegt[1]. I. Einleit. § 6 Anm. Reuss: la Bible V p. 53. Nöldeke: die alttestamentliche Litteratur p. 129). Tamen nos nequaquam ei assentiri possumus, neque enim, quia pauci non intra fines cognitionis se continuerunt rationibusque haud rectis ingressi sunt, disceptatio omnino est neglegenda. Nonne enim Hupfeld ipse concedit, ut recte percipiamus psalmorum imprimis lamentantium enunciata singula, magnopere interesse, tempora, quibus sint compositi, cognosse? (cf. § 6.) Et recte quidem; quanto maiorem vigorem et calorem prae se fert psalmorum interpretatio, quae adversarios poetarum, quinam fuerint, calamitates, vindicationes, qua aetate factae sint, demonstrare potest, neque omnino recte percipere poteris cum precationes et benedictiones tum exsecrationes, quae inveniuntur in psalmis, nisi ostenderis pericula, de quibus agitur, quanta et qualia

fuerint. (cf. Theod. Mopswestiensis: expos. patrum graec. in psalmos, ed. Corderius I. 574. et Kuenen: historisch-kritisch Onderzoek etc. III. § 140 adn. 12). Opus quidem dignius theologorum studio est, psalmos ipsos tractare, sententias precantium Israelitarum de Deo, de peccatis, de remissione peccatorum, de salute colligere, singularem pietatem, fidem, spem atque etiam furorem adversus inimicos, qualis in illis vigeat, eruere. Neque tamen haec omnia recte percipiemus et aestimabimus, nisi antea statuerimus, quibus temporibus carmina sint conscripta; non intrare possumus templum, nisi antea per pronaum gressi erimus.

Altera autem causa, cur non minus nostra intersit, tempora illa eruere, haec est, quod illis definitis documenta accipimus gravia, qui fuerit temporibus quibusdam status religionis Israeliticae rerumque sacrarum ratio, qua de re nostris diebus multum et varie disputatur. Neque enim ullos cognitionis fontes hac in re possumus invenire magis idoneos quam carmina, quibus seu singuli poetae seu ecclesia universa alloquuntur Deum eique confitentur de calamitatibus, de conservationibus, de peccatis, cor intimum aperiunt, omnes cogitationes ad religionem pertinentes exponunt. Videre igitur potes, quia alii cognitionis fontes non sufficiunt, psalmorum argumenta iterum iterumque ab hominibus doctis allata, ubi disputatur de Israelitarum sententiis rebusque sacris, quales fuerint aetate quadam, tamen numquam illi adversariis persuadebant, quia proficiscebantur a conjecturis, quibus hi non assentiebantur. (cf., ut unum alterumve exemplum decerpamus, alia e parte Bredenkamp: Gesetz u. Propheten p. 59 sequ. 141 sq., ex alia H. Schultz: alttest. Theologie cap. XII., ex alia Stade: Geschichte Israels II p. 229 sq.). Intellegis ergo gravitatem problematis; ubi de temporibus, quibus psalmi sint conscripti, consenserint homines docti, de aliis quoque quaestionibus criticis, ad quas nostris diebus varie respondetur, eos consensuros esse sperari potest. Duabus igitur de causis expositis, quamquam multis jam disserendi rationibus perversis ingressi sunt homines docti, iterum iterumque disceptatio de origine psalmorum suscipienda est.

§ 2. Qua ratione studia critica, quae spectant ad psalmorum originem, progressa sint, exponitur.

Inter homines doctos veterum temporum usque ad Calvinum duae sententiae vigebant, praeter quas tertia non invenitur. Quarum altera, quae jam Chronistae fuisse videtur (cf. Delitzsch: Bibl.

Comment. über d. Psalmen ad ps. 105) et quam novi testamenti scriptores habuisse verisimile est (cf. Act 4,25) haec erat, psalmos omnes a Davide rege esse conscriptos. Quam sententiam cum in Talmude (Pesachin 117 a) tum ab ecclesiae christianae patribus, qui appellantur, invenimus explicatam. (cf. Chrysostomus: prolegg. ad ps.; praeterea: Euthym. Zigabenus praef. p. 172). Quae non ad Davidis res et tempora in psalmis spectabant, prophetice eum et praevidisse et enarrasse de temporibus futuris putabant. Quae inveniebantur in inscriptionibus psalmorum alia nomina praeter Davidem tradita, Mosis, filiorum Corae, Asaphi, in graecis versionibus: Jeremiae, Haggai, Sacharjae partim eorum esse existimabatur, quibus David carmina musicae instrumentis aptanda tradidisset, partim eorum, de quibus divinasset. (cf. Augustin: de civitate Dei 17,14.) Atque quae continebant carmina, partim ad Davidis partim ad exsilii Babylonici, reditûs e captivitate facti, Maccabaeorum tempora, partim ad obsessionem Judaeis a Romanis illatam referebant, omnia autem a Davide ipso praenuntiata esse putabant. (cf. Theodoret ad ps. 43, 74, 79 etc.) Dissentiebant autem inter se hac de quaestione, utrum occasiones, quibus origo psalmorum inscriptionibus attribueretur, re vera fuissent occasiones, e quibus psalmi essent orti, necne. Atque cum plurimi fidem illis habeant (cf. Theodoret apud Migne 80,1 p. 858), Theod. Mopswestiensis, quamquam omnia carmina a Davide conscripta esse tenebat, inscriptiones minimi aestimabat affirmans, eas multo post carminum originem ex cuiusque voluntate esse additas. (cf. Bäthgen, Zeitschr. f. d. alttest. Wissensch. 1886 p. 269.)

Altera autem sententia erat, psalmos ab iis, quorum nomina carminum inscriptionibus essent tradita, re vera esse compositos, plerosque a Davide, alios a Mose, filiis Corae, reliquis. Quam sententiam et in Talmude (Bava Bathra f. 14) et ab Eusebio, Hieronymo, aliis invenimus explicatam. (cf. imprimis Eusebii praefationem: Migne 23,5 et ad ps. 42.) Per mediam quoque aetatem, quae dicitur, haec imprimis vigebat, et in Aben Esrae, Davidis Kimchi, et in Lutheri psalmorum interpretatione invenitur exposita. Quem, quamquam, quibus temporibus psalmi sint conscripti, nullo loco diligentius disputavit, tamen idem hac de re cogitasse constat. (cf. interpretationem eius ad ps. 122.)

Calvinus is erat, qui de psalmorum origine disputans novam quaerendi rationem pararet. Qui ratione illa ab Augustino, Theodoro, universa ecclesia antiqua adhibita amplius uti noluit iterum iterumque exponens, prophetas plane alio modo de rebus futuris

1*

loqui atque carminum poetae sint locuti, psalmos nisi ad conditiones et res aetatis eius, qua poetae ipsi vixissent, non esse revocandos ab hominibus doctis eos interpretantibus. (cf. adnotationes eius ad ps. 79, 89, 90, 127, 137.) Et omnes quidem psalmos Davidi titulis ascriptos ei auctori attribuit et alios complures. (cf. ps. 119.) Quia vero in Davidis historia historicorum libris tradita saepenumero occasionem, quae fuit origini carminum inscriptionibus ei attributorum apta, invenire non poterat, immo interdum carminum argumenta rebus et temporibus illius, qualia in annalibus enarrantur, repugnabant, aut Calvinus ipse eodem modo peccat atque ii, quos vituperavit (ad ps. 124 exempli causa adnotat, res, in quibus versatus sit poeta, Davidis rebus non respondere, tamen carmen ab eo hominibus futuris rês quasi in speculo proponente esse compositum cf. quoque ad ps. 69,35 sq.), aut ad inscriptiones omnino non respicit, ut ad inscriptiones carminum Asapho ascriptorum, quorum nonnulla cf. ps. 74, 76, 79 vel Babylonicae vel Maccabaeorum aetati attribuit. Elucet, eum inter se pugnantia dixisse, neque, si constans fuisset, hoc loco consistere potuisse, tamen antiqua ratione sublata novas disputandi vias patefecisse.

Ratione, a Calvino profecta, magis constanter convenienterque ingressus est Esrom Rudinger. Qui cum psalmos nonnullos perlustraret, inveniebat, res in titulis commemoratas carminum ipsorum argumentis non respondere. (cf. ad ps. 90, 124 etc.) Quorum cum tituli non recte inscripti esse viderentur, interrogavit: Si nonnulli falsi sunt, cur reliquis fidem habemus? Imprimis praeterea, quia LXX versio plane alias inscriptiones praebet atque textus hebraicus, concludit „grammaticorum esse commenta inscriptiones universas.“ Hoc modo nisus argumentis e carminibus ipsis allatis historiae Israeliticae aetatibus singulis a Davidis temporibus usque ad Maccabaeorum bella carmina singula attribuit. Sententiam Rudingeri plurimi, qui aetate insequenti in psalmorum interpretationem incubuerunt, secuti sunt, quamquam tempora, quibus carmina sint composita, statuentes cautius progrediebantur. Vogel enim, Venema, Grotius, Eichhorn, Rosenmüller, Jahn, alii, quia veritati inscriptionum argumenta carminum ipsorum repugnabant, psalmos haud paucos transcriptionibus Davidi ascriptos ei abjudicaverunt. Non quidem defuerunt, qui rationem antiquam defendentes censerent, psalmos Davidi titulis attributos ab eo compositos esse omnes resque, de quibus agunt, instinctu divino afflatuque ab eo esse praevisas. Sed longe plurimi opinioni Rudingeri assentiebantur.

Nova ratio cum psalmorum interpretationis universae tum

definiendorum temporum, quibus carmina sint conscripta, a Dewettio est inita. Etenim, cum antea semper inter homines doctos constaret, plus minus psalmorum, qui inscriptionibus Davidi auctori attribuuntur, ab eo esse compositos, neque aliis poetis tribuerentur nisi illi, quos argumentis e perspicuis, templi Salomonici, exsilii Babylonici etc. mentione facta aliis temporibus compositos esse eluceret, Dewette sententia Rudingeri redintegrata constanter ratione ab illo profecta ingrediens enuntiat: „Dadurch aber ist mir nach meinen kritischen Grundsätzen die Echtheit aller übrigen davidischen Psalmen problematisch geworden; es ist nicht genug, wenn Inhalt und Charakter der Ueberschrift bloss nicht widerspricht, es müssen positive Wahrscheinlichkeitsgründe den Verdacht, der auf der Ueberschrift ruht, heben.“ (Comment. üb. d. Ps. Einleit. III.) Quam legem observans, causis variis allatis, Dewette, cum, quibus temporibus psalmi sint conscripti, statuere vult, plerumque nihil demonstrat nisi inscriptionibus nullam fidem esse habendam, multos psalmos a Davide factos non esse, sed aliis temporibus, de multis se non intellegere posse, quis fuerit poeta, affirmat (cf. ad ps. 3, 7 etc., unum psalmum 18 pro certo a Davide esse compositum exponit). Inde artis criticae quattuor rationes eaeque ita inter se dissidentes sunt profectae, ut omnes plus minus auctoritate Dewettii sint motae.

1. Ac primum quidem arte illa critica Dewettii negativa, quae appellatur, diligentissime usus est Hupfeld. Qui commotus aequalium quorundam nimia disquirendi audacia exposuit: „ich halte es der ernsten Forschung für unwürdig, sich solchem kindischen Hypothesenspiel zu überlassen und für Pflicht, sich innerhalb der ihr gesteckten Schranken zu halten und entschlossen auf alle geschichtliche Deutung zu verzichten, die nur auf unsicheren Mutmassungen beruht.“ (l. s. c.) Qua re postquam inscriptionum plurimas esse falsas demonstravit, quando carmina sint composita, se nescire confitetur atque ne unius quidem originem certam esse praeter originem eorum, quae post exsilium manifesto sint conscripta. (Maccabaeorum temporibus nulla esse orta affirmat.)

2. Alterum est genus doctorum, quos positivam artem criticam exercentes appellare possis, qui eadem disputandi ratione, etsi de singulis rebus valde inter se dissideant, usi sint.

a) Atque primo loco nomina haec afferenda mihi sunt: Ewald, Hitzig, Köster, qui quamquam titulis psalmorum de origine eorum nihil esse statutum volebant, tamen affirmabant: „es konnte die Meinung, dass fast alle diese Psalmen David gedichtet habe, sich

nicht wie eine Luftblase erzeugen, sondern füglich nur dann entstehen, wenn wenigstens einige derselben von ihm herrührten, die einen Kern und Anfang bildeten für spätere Fortsetzung.“ (cf. Hitzig: die Psalmen p. 14.) Quare cum et antiquis et novis argumentis plurimos psalmorum Davidi attribui non posse demonstrarent, tamen nonnullos eorum ab eo esse compositos contenderunt. (Ewald: 11, Hitzig: 14.) Atque Ewald, quibus insignibus carmina a Davide conscripta cognosci possint, his fere verbis exposuit: „ein Dichter dieser Hoheit und dieses Bewusstseins, dieser Schicksale und Erfahrungen, so einzig in dem ganzen Volke muss sich in jedem Liede, in jedem Satze klar zu erkennen geben.“ Quare illa, quae hac nobilitate et hoc spiritu careant, a rege illo conscripta esse negat. (cf. die Dichter des alten Bundes I. 2 p. 3—8.) Hitzig autem ea carmina a Davide composita esse censuit, quae et ad singulas conditiones, in quibus versatum esse illum annales tradidissent, revocari possent et sermonis eximium quid, quod in omnibus psalmis a Davide conscriptis inveniretur, prae se ferrent. Qua de causa plurimos eorum psalmorum, qui lamentationum pleni sunt, Davidi abjudicatos et Ewald et Hitzig partim regum posteriorum temporibus — Hitzig imprimis Jesaiam et Jeremiam poetas fuisse censet — partim in exsilio partim post reditum compositos esse volunt. Hitzig trium posteriorum librorum omnes fere psalmos temporibus Maccabaeorum ortos statuit. Atque quamquam hanc conjecturam perpauci probarunt, de quaestione, quorum carminum David fuerit poeta, Ewaldii et Hitzigii sententiis plurimas in partes assensi sunt Schrader (cf. Dewette: Lehrb. d. hist.-krit. Einleit. ed. Schr. § 333), Bleek (cf. Einleit. i. d. a. T. § 221), H. Schultz (cf. alttest. Theol. [2] p. 84), Riehm (cf. Hupf. comment. ed. altera ad pss. singulos, praeterea: Einleit. i. d. a. T. p. 190).

b) Quorum e ratione critica duae hominum doctorum partes iterum profectae sunt, quarum altera minus, altera magis inscriptionibus fidem habent. Multi enim homines docti argumentis Ewaldii, Hitzigii repugnantes et irrita ea facientes ne illa quidem, quae hi statuerant, carmina Davidi attribuenda esse, plurima, quae libri priores continent, prophetarum, imprimis Jeremiae temporibus orta esse censuerunt. Qui vel unum psalmum 18 (cf. Nöldeke: die altt. Litt. p. 126 sq.; Nowack: Hupf. comment. ed. 3 p. 43; Grätz: krit. Comment. zu d. Pss. I p. 207 — dimidia ex parte) vel nullum (cf. v. Lengerke: Commentar, Kuenen: l. s. c. § 139, E. Meier: Gesch. d. poet. Litt. d. Hebr.) a Davide compositum esse judicarunt. Praeter argumenta jam antea allata affirmarunt

neque Davidem, id quod appareat ex novissimis rerum Israeliticarum perscrutationibus, tam magnanime, benigne, clementer loqui potuisse, quam loquantur poetae psalmorum, neque sacrarum rerum rationem et opiniones de Deo, quae in carminibus vigerent, eas esse, quae fuerint Davidis temporibus, immo, quae certaminibus, actionibus, orationibus prophetarum illustrium ortae sint in populo Israelitico. Quorum temporibus vel exsilii exsiliumque subsequentibus carminum originem attribuerunt. Atque omnes fere post disputationes imprimis inter Hitzigium, Olshausenium ab altera parte, Gesenium (A.L.Z.E.Bl. 1816 p. 643), Hupfeldium (l. s. c.), Dillmannium (Jahrbb. f. deutsche Theol. 1858 p. 460 sq.), Ehrtium (Abfzeit u. Abschl. d. Psalters) ab altera factas in unum consenserunt, etsi psalmi Maccabaeorum aetate conscripti interponi potuerint psalterio nonnulli, longe plurimos psalmorum jam antea esse compositos.

c) Alii homines docti a conjecturis Ewaldii, Hitzigii profecti orationem genusque dicendi carminum ab his Davidi ascriptorum cum aliis psalmis comparantes et rationem rerum sacrarum moresque Davidis e libris historicis eruentes ad hanc sententiam perducti sunt, multo plura etiamsi non omnia carmina inscriptionibus Davidi addicta vere ei esse auctori attribuenda. Ad quam sententiam jam appropinquavit Gesenius, qui opinione antea enunciata Ewaldii que sententiae cognata (cf. A.L.Z.E.Bl. 1816 p. 643 sq.) postea mutata (cf. praefat. eius ad: Gramberg, krit. Gesch. d. Religionsideeen des a. T.) plurimos psalmos Davidi poetae tribuebat. Imprimis vero hac e parte Delitzsch circa quadraginta regi illi autori ascribendos esse censuit, nonnullorum Jeremiam prophetam poetam fuisse conjecit. (cf. Bibl. Comment. üb. d. Ps.) F. W. Schultz autem censuit undeviginti certe a Davide esse compositos, ex ceteris iterum undeviginti a Davide non factos esse certis argumentis ostendi non posse, reliquorum undeviginti prophetarum temporibus, eos vero qui superessent titulis Davidi attributi, post exsilium ortos esse existimandos. (cf. Kurzgef. Comment. ed. Strack et Zöckler). Numerum denique haud parvum psalmorum Davidi attribuit Köhler. (cf. Bibl. Gesch. II. 1. p. 185 adn.)

3. Tertia pars hominum doctorum cum arti criticae negativae tum positivae, quae dicuntur, adversaria inscriptionibus, nulla excepta, fidem esse tribuendam denuo demonstrare conata est. Etenim Hengstenberg (cf. Commentar), Hävernick, Keil (cf. Handb. d. hist. krit. Einleit. i. d. a. T. III) operam dederunt, ut ostenderent verisimile esse, et inscriptiones ab ipsis poetis esse additas

et, quae contineretur in psalmis, fidem illarum confirmare neque quidquam Davidis temporibus repugnare. Quo modo omnes psalmos Davidi, reliquis poetis titulis addictos ab his esse compositos statuerunt. Haec tamen sententia nostris diebus patronos defensoresque non habet.

4. Restat, ut quartae exponamus partis sententias, quae nostris diebus praeter ceteras inter homines doctos vigent. Praevideri poterat, judicio de temporibus, quibus pentateuchi partes sint compositae, et de rerum sacrarum Israeliticarum historia universa annis postremis inter multos homines doctos funditus mutato futurum esse, ut judicium quoque de temporibus, quibus psalmi sint conscripti, permutaretur. (cf. adnotationem Duhmii: Theologie d. Proph. p. 20.) Quae nova investigandi ratio primum invenitur in Olshausenii interpretatione psalmorum, qui factiones impiorum et piorum, de quibus agitur ubique fere in psalmis nondum ante exsilium, dum populi Israelitici regnum constabat, sed ecclesiae Judaicae aetate post exsilium, imprimis Maccabaeorum temporibus exstitisse plurimisque in carminibus non ignotum aliquem hominem, sed ecclesiam ipsam Judaicam loqui censuit. (cf. Kurzgef. exeget. Handb. Einleit. § 3.) Eandem fere sententiam habet Reuss: eh bien, nous affirmons, que ce point de vue, cette disposition religieuse n'était pas celle de l'époque de Jérémie ou des anciens prophètes en général. (cf. La bible V p. 56.) Itaque praeter psalmos, in quibus regis mentio fit (2, 18, 20, 21 etc.) et psalmos 8, 19 a, 23, 29 omnes fere ad res ecclesiae, quales fuerint post exsilium, revocat. (cf. Gesch. d. heil. Schriften a. T. § 474 sq.) Omnibus vero in carminibus ipsam ecclesiam neque singulos Israelitas loqui verisimile esse conatus est ostendere Smend, qui hoc modo a conjecturis Olshausenii profectus rationi interpretandi ab illo non satis exercitae vim universam et auctoritatem tribuendam esse censet. (Sententiam, psalmos 3, 4, 62, 73 hac e lege esse excipiendos, mutavit in Theol. Littzeit., cum scribit de Hupfeldii comment. editione 3.) Inde sequi, ut universum fere psalterium compositum sit post exsilium, id quod nos infra intellegemus, Smend ipse statim conclusit. (cf. Ueber das Ich der Psalmen: Z. f. A. W. 1888 p. 49—147, imprimis p. 145 sq.) Neque vero Maccabaeorum, sicut Olshausen, sed vel Persarum vel Graecorum aetate carmina conscripta esse vult. Ad eandem fere sententiam, quamquam aliis argumentis nisus, imprimis religionis forma, rerum sacrarum ratione, de Deo opinione, quas praebeant psalmi, prophetarum vero temporibus in populo Israelitico nondum

viguisse censet, Stade pervenit. (Pluria tamen carmina quam Smend Maccabaeorum temporibus orta esse contendit. (cf. Geschichte Israels III p. 213 sq.) Eandem conjecturam defendentes Wellhausen quoque (cf. Bleek[4] l. c. § 251 adn.) et Geiger (cf. nachgel. Schriften IV p. 180—84) sunt nominandi, quorum argumentationes infra explicabimus. Giesebrechtium denique, qui ex argumentis e linguae legibus et formationibus allatis quattuor psalmorum libros postremos post exsilium ortos esse conclusit, si constans fuisset, ad eandem sententiam de primo quoque libro progredi debuisse, infra intellegemus. (cf. Zur Psalmenkritik. Z. f. A. W. 1881.)

§ 3. Disputandi ratio, qua nobis sit progrediendum, explicatur.

Exposuimus, qua ratione studia critica, quae spectant ad psalmorum originem, usque ad nostros dies progressa sint, et quamquam varios ad veritatem gradus jam esse factos constat, (exempli causa non nostris diebus inveniuntur, qui aliis argumentis praetermissis inscriptionibus solis fidem habentes de psalmorum origine judicent, omnes argumenta e psalmis ipsis afferre student, ut suas sententias, quinam poetae fuerint, defendant, neque quisquam eos psalmos, quos aliis temporibus conscriptos esse demonstrari non potest, Maccabaeorum aetati attribuendos esse censet; plurima denique carmina, quae inveniuntur in quarto quintoque psalterii libro, quin post exsilium orta sint, nemo jam dubitat), tamen adhuc iis, qui sententiarum, quibus temporibus psalmi sint conscripti, multitudinem intuentur, eam tamquam chaos magnum apparere, quis est, qui neget? Quae cum ita sint, primo interrogandum nobis est, quomodo, qui quaestionem denuo tractare vult, optime hoc faciat. Atque statim elucet, omnes rationes esse vanas, quae proficiscuntur a propositionibus, de quibus nondum omnes consentiunt, sed quae adhuc sunt demonstrandae, ut rationem illam, quam adhibendam commendavit Strack: „Wer künftig die Psalmenkritik fördern will, wird auszugehen haben von Ps. 18, der durch 2 Sam. 22 bezeugt und von den Pss. 3, 4, 7, 8, 11, deren Echtheit von allen 3 Auslegern (Hitzig, Ewald, Delitzsch) anerkannt ist etc. (cf. Handb. d. theol. Wissensch. I. p. 154.) Etenim, si horum uniuscuiusque docti solius examinaveris artem criticam, negare non poteris, nihil ea demonstrari, id quod diebus nostris inter omnes fere constat. Spiritum enim illum nobilitatemque animi, e quibus insignibus Ewald statuit Davidem poetam posse

cognosci, in aliis quoque carminibus reperias atque ille neque elucet, cur alius poeta carmina talibus notis ornata componere non potuerit. Jam Hitzigii conjecturas plane fuisse vanas eodemque jure atque psalmos, quos ascripsit Jeremiae, eos quoque, quos attribuit Davidi, Jeremiae attribui posse, haud difficile est demonstratu (etenim multa in psalmis 7, 9, 10, aliis similia sunt Jeremiae precationibus eadem ratione, qua psalmi ii, quos H. Jeremianos censet, illos tamen a Davide compositos esse statuit. cf. infra et imprimis: Kuenen l. s. c.). Delitzsch vero, nulla disceptatione antea facta, eos psalmos certe a Davide conscriptos esse existimat, de quibus vel Ewald vel Hitzig idem censuerunt, ab iisque progressus et similem orationem psalmorum aliorum atque illorum esse demonstrat et poetarum res conditionesque, quales e carminibus ipsis appareant, cum Davidis rebus in libris Samuelis traditis comparat. (cf. ad pss. 7, 17 etc.) Ne simus longi, talibus argumentis, qualia ille attulit, aliis persuaderi nequaquam potest.

Non magis assentiri possumus iis, quae exposuit G. Baur, omnes psalmos titulorum testimonio Davidi attributos, nisi repugnarent eius temporibus, moribus, sententiis ad res sacras spectantibus vere ab eo esse compositos. (cf. Dewette [5] l. c.) Qui inscriptionibus argumenti vim denuo attribuit, sed id repugnat iis, quae annis postremis viri doctissimi summa ingenii acie statuerunt. Jam enim supra intelleximus, nostris diebus ne unum quidem hominem doctum judicare, inscriptionibus omnibus fidem esse habendam et a poetis ipsis eas esse carminibus additas, quare necesse non est, ut nos iterum argumentis saepe ab aliis collectis demonstremus, interdum res, de quibus agunt psalmi ipsi, titulis repugnare, (cf. comment. omnes et Kuenen l. s. c. § 139.) Si vero inscriptiones nonnullae falso sunt additae, cum, quod continetur in psalmis, aperte iis repugnet, nonne verisimile est, eas iis quoque psalmis multo post carminum originem temere esse additas, e quibus ipsis argumenta falsas illas esse hauriri non possint? Dewettii illud: „dadurch ist mir nach meinen kritischen Grundsätzen die Echtheit aller zweifelhaft geworden“ in omnia tempora constat. Nos quoque censemus, inveniri in psalterio carmina quaedam, quae a Davide conscripta esse verisimile est, sententiamque nostram alio loco fortasse exponemus, tamen hoc certe scimus, illud hac ratione demonstrari non posse. Immo constat, Baurii rationem argumentandi nullam vim habere, id quod elucet e psalmorum interpretatione quoque a F. W. Schultzio facta, qui via a Baurio commendata est ingressus, cuius vero

conjecturis audacibus perpaucos assensuros esse putamus. Nam, ut ita dicam, vacillat aedificium, quia non satis firmum est fundamentum, argumenta enim dilucida desiderantur, quibus comprobetur, a Davide rege certe unum aliumve psalmum esse compositum; non satis est demonstrasse, nihil in carminibus inveniri, quod repugnet sententiae, illum fuisse poetam.

Nos vero, cum non iis solum qui jam persuasum sibi habent, persuadere velimus, sed quaerere, unde proficiscamur ita, ut a nemine arguamur, vanis conjecturis disceptationem suscepisse, si incumbere volumus in disquisitionem optime, hac ratione nobis ingrediendum esse censemus, ut primo corpus quoddam psalmorum haud parvum e psalterio eligamus et omnibus iis, quos illud continent, una perlustratis statuamus, qua aetate sint orti; quod si nobis contigerit, alio fortasse tempore de aliorum quoque carminum origine, quando facta sit, dijudicare poterimus. Etenim, exceptis perpaucis forte carminibus, omnino fieri non posse existimamus, ut, si psalmos singulos alium post alium examinamus, statuamus, quibus temporibus sint compositi. Quod jamdudum studiis doctissimorum virorum, qui de psalmorum origine disputaverunt, comprobatum nuperque ab Hupfeldio in medio positum est. Si vero complures psalmos una perscrutamur, fieri posse censemus, ut e rebus, de quibus agunt poetae, sententiis, quas pronuntiant, sermone, quo utuntur, eam aetatem eruamus, qua carmina sint composita. Non quidem confidimus, nos statim aetates singulas anguste definitas vel regis vel prophetae alicuius investigare posse, quibus carmina singula attribuamus, sed contenti erimus, si statuerimus, qua aetate in universum spectanti psalmi sint conscripti, utrum ante prophetas an prophetarum aetate an in exsilio an post exsilium etc. Quam disceptationem facientes nos non ultra cognitionis fines progressuros esse censemus. Planius enim nos jus potestatemque habere, ut ita agamus, infra apparebit, ubi de argumentis singulis disputabimus et intellegemus, res, sermonem, sententias in partibus quibusdam psalterii tantopere inter se esse cognatas, ut omnia fere, quae in illis inveniuntur, carmina ab eadem aetate originem habere videantur; nunc satis erit, si demonstrabimus, quomodo sensim homines docti longe plurimi sint adducti, ut hac disputandi ratione usi originem psalmorum e tenebris in lucem vocare conarentur. Unus quidem Ewald nimis divinationi suae confisus hac ratione praetermissa alios psalmos aliis aetatibus tribuit; cuius conjecturae hac in parte nostris diebus ab omnibus vanae et nimis audaces existimantur.

(cf. Cheyne: the book of psalms p. 16.) Complures vero psalmos inter se cognatos esse colligendos, una tractandos, una ex iis originis indicia eruenda, jam Hitzig demonstravit alterum psalmorum corpus Davidi alterum Jeremiae attribuens; quod clarius intelleges ex Hengstenbergii, Delitzschii disputationibus, qui demonstrarunt, ubi septem psalmos a Davide esse compositos constet, iisdem de causis, e quibus hi, quadraginta quoque vel plures ei non esse abjudicandos; idem concludere potes e Graetzii et Kuenenii expositionibus, qui maximam partem carminum, quae inveniuntur in libris prioribus, temporibus prophetarum attribuerunt — qamquam hac de re disputantes non constanter egerunt, quod dilucide infra apparebit —; intellegis denique, ratione illa nobis esse utendum ex Olshausenii, Reussii, Smendii disceptationibus, qui universum fere psalmorum corpus post exsilium ortum esse censebant. Giesebrecht quoque et Ehrt poposcerunt, ut magis, quam antea sit factum, psalmi complures una tractarentur et perlustrarentur, corpora quaedam psalmorum una investigarentur ab iis, qui statuere vellent, quibus temporibus psalmi singuli compositi essent. (Carmina, quae inscriptionibus liberis Corae, Asapho attribuuntur, et ea, quae graduum cantûs nominantur, tantopere inter se esse cognata, ut eidem aetati omnia originem debeant, jamdudum multi homines docti affirmarunt. Eadem vero ratione de corporibus psalmorum quibusdam Davidi poetae attributis judicandum nobis est.) Ne simus longi, e Dewettii diebus iterum iterumque ab hominibus doctis postulatum est, ut ratio illa adhiberetur, qui vero psalmorum singulorum originem separatim eruere volebant (cf. Hupfeldium eiusque discipulos), de disquisitione desperaverunt.

Dilucidius autem rationem, qua nobis sit ingrediendum, historia ipsa disquisitionis, quam supra exposuimus, indicare nobis videtur. Antequam enim omnes ceterae controversiae de aetatibus accuratius definiendis dijudicari possint, nunc in eo est, ut primo statui debeat, utrum sint carmina ante an post exsilium Babylonicum conscripta, quia hac de re nostris diebus maxime inter homines doctos disputatur. Si vero hanc ad quaestionem dijudicandam examinare volumus corpus aliquod psalmorum, pars, de qua aptissime disquisitionem instituamus, liber primus videtur esse, quem continere antiquissima carmina plurima neque multa, quae cantus alios imitantur vel ex aliis voces et enuntiata mutuantur, id quod fecerunt psalmi recentiores, ab omnibus hominibus doctis est concessum. (cf. Reuss: Geschichte etc. § 282, Ewald l. c. I 1

p. 243.) Quare disquiremus, omnibus aliis quaestionibus, qua ratione aetas psalmorum originis accuratius sit definienda, omissis, utrum carmina, quae continet liber primus, ante an post exsilium sint composita.

Qua in quaestione tractanda disserendi ratione utemur hac. Diversis argumentis, e quibus novissimis temporibus psalmos post exsilium compositos esse ab hominibus doctis est disputatum, nobis hae disceptationis partes oblatae sunt. Primum agendum nobis est de causis non solum ad primum librum, sed alios quoque respicientibus, quas illi attulerunt, ut post exsilium omnes fere psalmos compositos esse demonstrarent. Atque harum causarum duo sunt genera, alterum ad usum eorum sacrum in Dei cultu factum spectans, alterum ad homines, a quibus psalmi sint dicti, quos Judaeorum ecclesiam, qualis fuerit post exsilium, fuisse illi contendunt. Deinde disputabimus de argumentis, quae ad singula primi libri carmina pertinent, atque evidenter apparebit, utrum sint ante an post exsilium Babylonicum conscripta, si contemplati erimus primum: rês populi Israelitici, instituta publica, qualia fuerint carminum originis temporibus, statum conditionemque eorum, qui psalmos illos composuerunt, quae et qualia fuisse videantur, deinde: quae, perlustrantibus nobis carmina illa, sacrarum rerum ratio opinioque de Deo fuisse videatur temporibus iis, quibus sunt composita, tum: quae sint propria sermonis, quo poetae illi sunt usi, tum: quae, psalmis illis collatis et inter se et cum aliis libris veteris testamenti, alia ex aliis invicem repetita esse videantur, ad extremum brevissime, quid Judaei ipsi de origine psalmorum tradiderint.

B. Demonstratur, vana esse argumenta, quae attulerunt temporibus novissimis homines docti, quibus omnes psalmos post exsilium esse compositos comprobare volebant.

§ 4. **Disputatur de argumentis inde allatis, quod psalmi ad Dei cultum ab ecclesia post exsilium sint adhibiti.**

Ac primum quidem reperimus inter causas de origine psalterii universi allatas non quidem tamquam argumentum adhibitam, tamen, ut benevolentia captetur, ab hominibus doctis quibusdam argumentationi praemissam thesin hanc: „psalterium erat liber

carminum, quae Deo dicebantur ab ecclesia post exsilium in templo, ergo argumenta dilucida sunt afferenda, quibus carmina singula ante exsilium orta esse comprobetur; quae nisi afferri possunt, haec composita esse post exsilium, est verisimilius." Tamen, disceptatione hoc modo proposita, disquisitio universa a loco suo movetur. Denuo enuntiemus necesse est, decretum illud saepissime nostris diebus repetitum (cf. Wellhausen, Smend, Stade l. s. c.) ad universam disputationem de psalmorum origine nihil referre. Confunduntur enim duae quaestiones ab iis, qui illo nituntur, altera, quando psalmi sint collecti, altera, quando sint compositi. Nemo est, qui neget, psalterium, quale nunc habemus, ad id esse collectum, ut ecclesia Judaica acciperet librum carminum religiosorum, quorum pars (cf. infra) canebatur ad sacra in templo facta, sed quid hac re de temporibus, quibus psalmi singuli sint compositi, demonstratur? Thora quoque et prophetarum libri in sacris ecclesiae Judaicae sunt adhibiti, quis inde conclusit, hos ad id esse post exsilium conscriptos? Ergo si illa e re omnino aliquid concludi potest, contrarium est atque quod concluserunt homines docti illi, hoc dico: psalmi jam existebant, antequam sunt in unum carminum librum redacti, ergo aetate priore sunt compositi.

Ne vero simus longi neve prorsus de rebus disputemus, quae ad quaestionem decidendam nihil afferunt, statim duas causas tractabimus, quas attulerunt homines docti, ut sententiam suam de origine psalmorum confirmarent, quae aliquam argumentorum vim primo aspectu habere videntur. Ac primum quidem dixit Wellhausen, cui assensus est Smend: „Desgl. da die Ueberschriften von der in der Chronik beschriebenen Gestaltung des musikalischen Gottesdienstes ausgehen, so ist die Frage nicht die, ob es auch nachexilische, sondern, ob es auch vorexilische Lieder darin giebt." (cf. Bleek [4] § 251 adn. 1 Z. f. A. W. p. 50 adn. 1.) Inscriptionum ergo argumentis nituntur. Sed, postquam inscriptiones, quae de poetis et occasionibus, e quibus carmina sint orta, nuntios ferunt, non a poetis ipsis, sed postea additas esse, e Rudingeri, imprimis vero Dewettii temporibus dilucide est demonstratum, num Wellhausen ille criticus inscriptionibus ad musicam spectantibus niti audet, tamquam a poetis ipsis carminibus sint ascriptae? Nonne LXX versio hac in re eodem modo, quo inscriptiones de autoribus etc. tradens a textu hebraico differt? Recte praeterea Stähelin animos ad rem notabilem convertere studuit, plane aliam esse naturam psalmorum 1—89, aliam psalmorum 90—150, illis saepissime inveniri ascriptas voces: לַמְנַצֵּחַ, סֶלָה etc., non vero his,

qua e re conclusit, illorum plurimos ab initio non esse ab ecclesia ad Dei cultum cantatos, sed iis demum ipsis inscriptionibus vel ascriptis hanc ad rem esse instructos, in his vero hoc non fuisse necessarium, quia ex ipsa forma, qua essent compositi, eluceret, eos nisi ad usum sacrorum non esse aptos eiusque causa conscriptos. (cf. zur Einleit. i. d. Ps. p. 4 sq. Ewald: l. c. I. 1 p. 238 sq.) Si rem spectamus universam, certe Stähelinii sententiae est assentiendum, quamquam ex utroque psalmorum corpore excipiendi sunt nonnulli, qui alterius corporis carminum naturam prae se ferunt (ut ex libro quarto et quinto psalmi 109, 139, 140, 143 etc., qui ad homines singulos spectantes indolem psalmorum 1—89 praebent; et ecce, iisdem invenimus ascriptas voces illas ad usum musicum pertinentes. De psalmis excipiendis e primo libro infra agemus). Penitus quidem tractare hanc quaestionem hoc loco non possumus, quia res non tam aperta est ad intellegendum, ut a nobis disputationem universam stringentibus in lucem vocari possit. Tamen, si addimus, et in carmine Habacucis, cuius de inscriptionis fide dubitari non posse infra intellegemus, inveniri ascriptas voces similes ad usum musicum pertinentes cf. Hab 3,1, 19, et temporibus, quibus graeca psalterii versio est orta, plurimas illas adeo non esse recte intellectas, ut vel falso vel iisdem vocibus, quibus erat usa lingua hebraica, redderentur, quod fieri non potuit, si vocabula illa musica Persarum postremis vel Graecorum temporibus essent formata, his duabus thesibus nemo quidquam opponere poterit: 1. demonstrari non potest, inscriptiones musicas post exsilium esse ortas, immo, jam antiquitus eas esse usurpatas verisimile est; 2. etiamsi post exsilium voces illae musicae essent formatae, demonstrari non potest, eas non carminibus jam multo antea compositis postea esse ascriptas. Immo, non solum inscriptionibus ad poetas etc. pertinentibus, quas multo post carminum originem esse additas constat, verisimile fit, eadem ratione de inscriptionibus musicis esse judicandum, sed etiam argumentis psalmorum ipsorum demonstratur dilucide, eos non ab initio ad usum illum, quem indicant inscriptiones, esse adhibitos. Qua de re statim disputabimus.

Sequitur, ut argumentationem Stadii exponamus, qui profectus ab Olshausenii sententia: „die Bestimmung für den liturgischen Gebrauch lässt sich in sehr vielen Psalmen an dem ganzen Habitus leicht und sicher erkennen,“ (l. s. c. p. 4) hoc modo decrevit: „die Hypothese ihres vorexilischen Ursprungs nötigt sie vom Culte loszulösen. Was aber dann diese Dichtkunst erzeugt haben soll, ist

schlechterdings nicht zu sagen. Sie schweben dann nach Zweck und Veranlassung in räthselhafter Weise in der Luft. (cf. Gesch. Isr. II p. 213.) Quo de argumento paullo planius disputemus necesse est. Constat enim, primum psalterii librum, de quo agimus, continere carmina nonnulla, quae ab initio ad id erant composita, ut in templo ad sacra canerentur. Quod imprimis ab Olshausenio est demonstratum. Falso quidem hic nobis nixus esse videtur epiphonematibus, quae dicuntur. (cf. p. 4 et ad pss. singulos.) Fieri potuit interdum, ut versus tales carmina ea, quae canebantur ad sacra, concludentes (cf. Exod. 15,18 seq. Jud. 5,31) repeterentur a populi turba, reliqui autem canerentur a cantoribus solis (quod Ewald quoque statuit l. c. p. 199), tamen, quia talia epiphonemata inveniuntur in iis quoque carminibus, quae numquam in templo cantata esse constat (cf. Deut. 32,43. 2 Sam. 1,27), ubi inveniuntur, non statim concludi potest: hoc erat carmen usus sacri causa compositum. Confudisse nobis videtur Olshausen epiphonemata ad sacras cantationes adhibita et conclusiones, quibus aliorum quoque carminum poetae Israelitae persaepe usi sunt. Qui cum carmina concludere solebant enunciatis brevibus vel querelam vel laudem cantatam brevissime colligentibus tum has conclusiones ita formabant, ut continerent aut consolationem aut benedictionem aliquam, quae querens quoque carmen enunciato pleno spei conticescens redderet. (cf. Deut. 33,29. Jes. 38,20, similia invenis in prophetarum quoque libris cf. Hos. 14,10. Mich. 7,20. Hab. 3,19. Zeph. 3,20, praeterea b. Berachoth 31 a). Qua ratione percipiendae sunt omnes psalmorum conclusiones, quae huc ab Olshausenio (ex parte a Cheynio quoque) referuntur; utrum carmina ad Dei cultum in templo sint adhibita necne, ex illis nequaquam concludi potest. (cf. ps. 2,12 seq., 3,9. 7,8. 8,9. 14,7. 20,10. 21,14. 29,11 seq., 30,13. 31,25. 37,40. 38,23. 41,14; non a poetis ipsis psalmis additi esse videntur versûs 25,22. 34,23, quia iis ordo alphabeticus, quo carmina sunt conscripta, tollitur, quamquam non constat, hoc enim poeta ipse quoque ita instituere potuit; de ps. 18,51 infra disputabimus). Non quidem negamus, horum omnium unum aliudve ab initio fuisse carmen usui sacro destinatum (cf. 20,10, 21,14), tamen ex epiphonematibus illis hoc nequaquam concludi potest.

Alterum argumentum, ex quo concluditur, psalmos ab initio usui ad sacra esse instructos, hoc est, quod invenitur in psalmis nonnullis ecclesia quaedam invitata ad cantandum, quam homines illi docti ecclesiam populi ad Dei cultum in templo congregatam fuisse existimant. Qua de re haec dicimus. Non ubique lex

illa interpretandi est exercenda neque vis universalis ei attribuenda, etenim ex poeticae artis hebraicae indole, plena vigoris et ardoris, usurpari poterant adhortationes tales, quales inveniuntur in psalmis, in carminibus quoque vel orationibus elatis, quae nequaquam ad canendum, nedum ad usum sacrum erant destinatae. (cf. Deut. 32,3,43. Jes. 42,10. Jer. 20,13 etc. Qua ratione intellegendos esse censemus versus ps. 30,5. 32,11. 34,4. 40,4.) Tamen non negamus, interdum (nostro judicio in ps. 9 cf. v. 12 et 15, ps. 22 cf. v. 24, ps. 33 cf. v. 1 et 12) poetam vel cantores ecclesiam congregatam populi Israelitici affari in psalmis, hos ergo fuisse ab initio destinatos, ut ab ecclesia ad Dei cultum in templo canerentur.

Aliud indicium, e quo hoc cognosci potest, est cantus alternus, ad quem aperte sunt instituti psalmi 15, 20. 21, 24, (29,9 ?) (cf. Ewald l. c. p. 193). Etenim, etiamsi cantatio, vocibus et choris alternantibus adhibita est ab Israelitis praeter Dei cultum in templo factum (cf. Jud. 5, 2 Sam. 1), ex argumento psalmorum illorum ipso elucet, ecclesiam populi, ut eos caneret, convenisse ad templum.

Si vero voci „carmen sacrum" notionem subjicimus ampliorem, omnes psalmi huc referri possunt, qui poetam ad templum praesentem fingunt, aliqua ergo ratione cum Dei cultu cohaerent. Qui sunt ps. 5 (cf. v. 8), ps. 23 (cf. v. 6), ps. 26 (cf. v. 6, 7, 8), ps. 27 (cf. v. 4), ps. 28 (cf. v. 2). (De ps. 14,7. 16,11. 17,15. 29,9. 36,9 brevi dijudicari non potest.) De modo autem, quo hi psalmi sint dicti, utrum sint cantati sociata nervorum concordia an vocibus alternantibus et respondentibus an alio modo, fortasse ne musicae quidem instrumentis adjuncti, sed numerose dicti, e psalmorum ipsorum argumentis concludi non potest.

Alii denique sunt psalmi, quos a poetis usus sacri causa esse compositos forma eorum nequaquam indicat ut ps. 1, 3, 4, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 18, 19, 25, 34,12—23, 37, 39, 41. Constat quidem, non posse certe e psalmorum forma decerni, alium ab initio ad usum sacrum fuisse instructum, alium non fuisse; facile concedimus, inter hos postremo collectos nonnullos esse ab initio Dei cultui, qui fiebat in templo, destinatos, tamen non minus constat, nequaquam illos omnes, nulla disceptatione aliis ex argumentis facta, a poetis ipsis usus sacri causa compositos existimari posse, qua ratione judicatur saepe nostris diebus. Immo, iterum elucet, quod jam supra affirmavimus, psalterium esse ortum e collectione carminum jam multo ante compositorum, et primitus consiliis plane diversis diversisque occasionibus conceptorum, neque tum demum, cum liber carminum sacrorum colligeretur, psalmos esse conscriptos.

Haec habuimus, quae disputaremus de indiciis iis, quae psalmi ipsi de usu, cuius causa sunt compositi, prae se ferunt. Atque omissa illa veritatis superlatione, cum de psalmorum usu sacro disserit, cum Stadio in hoc consentimus, quod inveniatur in primo quoque psalmorum libro numerus quidam (quindecim fere e nostro judicio) carminum, quae ab initio sunt composita, ut ad Dei cultum in templo vel canerentur vel numerose dicerentur. Num in hoc quoque illum sequi debemus, ut eadem de causa psalmos post exsilium ortos censeamus? Stade hac ratione argumentatur: in Chronistae libris traditum est, post exsilium, ubi ecclesia congregata erat ad templum, ut diurnum sacrificium matutinum, „tamid", quod dicebatur, offerret Deo diesque festos celebraret, cantatum esse, vocibus musicae instrumentis adjunctis; haec vero templi musica e variis indiciis post exsilium demum est instituta; ergo carmina quoque, quibus musica adjungebatur, post exsilium sunt composita, quia alias ab originis causa divelluntur. Quibus omnibus nequaquam assentiri possumus. Atque statim hoc loco quaestionem recte proponamus, de qua agendum nobis est: non de eo agitur, utrum psalmi fuerint carmina sacra, ampliore notione voci subjecta, quae in templo quidem cantata vel declamata esse videntur, nullum tamen indicium prae se ferunt, et quo modo et a quibus id factum sit, necne, sed de eo, utrum sint carmina, qualia post exsilium, ubi congregata erat universa ecclesia, ut Deo sacrificia fierent, ad musicae instrumenta a cantorum choris pro ecclesia canebantur, necne. Illud enim est, quod contendunt adversarii. Atque primum demonstrabimus, psalmorum, de quibus disputamus, originem nulla ratione cohaerere cum carminum usu sacro eo, qui excultus est post exsilium, falumque esse Stadii decretum: si ab illo usu psalmi divellerentur, omnino originem eorum in aëre librari, deinde, precationes et carmina talia, qualia continet liber primus, jam ante exsilium dici et cani potuisse.

I. 1. Stade nititur Chronistae testimonio, cuius ex enarratione eluceat, iis temporibus, quibus libros conscripserit, psalmos cantatos esse in templo. Quod quidem confirmatur capite 16 libri illius prioris, quo Davidem cantoresque eius carmen e psalmis compositum ad arcam foederis canentes facit, sed quosnam psalmos iis attribuit? Psalmorum 96, 105, 106 partes. Hos vero ab initio fuisse carmina ad usum sacrum destinata, satis apparet ex adhortationibus in iis ad cantandum factis cf. 96,1 sq., 105,1 sq., 106,1,48. Qua cum re congruunt ea, quae vel cognovimus vel conjicere possumus ex iis, quae nobis attulit Talmudis liber, quo-

modo psalmi in secundo templo sint cantati. Canebant aut Levitae aut chorus, musicae instrumentis vocibus adjunctis, populus autem adorans et se prosternens seu primum carminis versum repetebat seu „amen“ post cantum finitum dicebat. Si ergo quaerimus, quae indicia nullo dubio demonstrent, carmen fuisse ad hanc Dei cultus partem compositum, haec sunt: aut initio (fortasse medio quoque in carmine aut ad exitum veniente) ecclesia incitatur, ut canat, Deum laudet etc., hoc est, vel versum primum ore vel omnes corde repetat, aut invenitur in iis אָמֵן responsum ecclesiae (cf. ps. 95, 96, 98, 100, (103, 104?), 105—107, 111—113, 117, 118, 135, 136, 146—50. 1 Chron. 16, 8, 36. Neh. 9,5. Esra 3,10 sq., Sir. 50,22 verisimiliter quoque ps. 92 cf. v. 1, ps. 97 cf. v. 12, ps. 99 cf. v. 9). Ubi non sunt carmina ad cantandum destinata, sed precationes solum sermone elato compositae, indicia illa desiderantur (cf. Esra 9,6. 2 Chron. 6,14, 20,6. 1 Chron. 29,10; praeterea cf. Grätz in Frankel-Grätz: Monatsschrift 1879 p. 193 sq., p. 241—259). Utriusque autem indicii, si demimus ps. 9, 22, 30, 32, 33, 34, ne minimum quidem vestigium invenimus in primo psalmorum libro.

2. Quamquam ea, quae tradita nobis sunt de Dei cultu, qui fiebat in secundo templo, sunt perpauca et eam ob rem concedere debemus, psalterium continere psalmos nonnullos, qui ab initio erant compositi, ut musicae instrumentis adjuncti a cantorum choris canerentur, quorum tamen formae atque species hoc non monstrant et in quibus indicia illa desunt (ut de ps. 93 ex psalmi ipsius argumento hoc verisimile fit), graviter confirmatur judicium nostrum argumento hoc. Ubicumque audimus in vetere testamento cantûs illius sacri mentionem factam, voces, quibus utuntur scriptores, sunt: לְהוֹדוֹת לַיהוה כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ, לְהַלֵּל לְהוֹדוֹת אֶת יהוה cf. 1 Chron. 16,41, 23, 5,30 sq., 25,3, 29,20 sq. 2 Chron. 5,13, 7, 3,6, 8,14, 23,13, 29,30, 30,21, 31,2. Neh. 12,46. Sir. 50,20 etc. Elucet, has voces, quibus iterum iterumque scriptores utuntur fuisse aptas, si fuerunt carmina, quae Chronistae temporibus canebantur in templo, psalmi illi certe post exsilium compositi, quos supra (cf. 1) collegimus, quorum omnium plus minus propositio est haec: הַלְלוּ, הוֹדוּ, שִׁירוּ לַיהוה, nequaquam vero vocibus respondere psalmorum longe plurimorum argumenta, quos continent libri psalmorum tres priores, qui plurima ex parte sunt precationes, non continent laudationes vel benedictiones. Jam adde hoc. Ad congregationes illas sacras conveniebat ecclesia, ut Deo sacrificia offerret; facile autem est demonstratu, minimam partem psalmorum, qui inveni-

untur in libro primo (si exceperis ps. 5 et 20, nullos) ad sacra respicere, immo invenis in iis enunciata, quae huic psalmorum usui aperte repugnant cf. 40,7: sacrificia tibi non placent. An putas, carmina praecepta solum versibus tradentia cf. ps. 25, 34, 12—23. 37. 41 vel Dei potestatem, naturam contemplantia cf. 8, 19 (ut taceamus de psalmo 119) composita esse, ut musicae instrumentis adjuncta ad sacrificia in Dei cultu canerentur? (cf. Nöldekii quoque illud: „ich kann mir wenigstens nicht denken, dass die jammernden Klagelieder oder die im Lehrton gehaltenen Psalmen von dem Dichter zunächst zum Singen bestimmt seien". l. c. p. 139.)

3. Nititur Stade fortasse nuntio illo nobis tradito, cuius de fide dubitari non potest, in templo Herodiano, certe vero jam antea quoque ad sacrificium diurnum cantatos esse psalmos ex omnibus libris electos, psalmos enim 24, 48. 82, 94, 81, 93, 92 singulis hebdomadis diebus, itemque diebus festis, ut ps. 30 ad oblationem primitiarum. Hac vero re contrarium demonstratur atque demonstratum ille vult. Etenim nemo negare potest, quod Grätz quoque, qui nuntios illos diebus nostris accuratissime perscrutatus est, demonstravit, non esse carmina illa ab initio composita hunc ad usum, immo occasionibus illis, ad quas tum canebantur, omnino non congruere, rebus, de quibus agant, alias originum causas indicari; ergo jam antea sunt conscripta, temporibus autem posterioribus illa ratione ad Dei cultum adhibita. (cf. Grätz: Comment. I. p. 53—61 et Monatsschrift l. s. c.) Quid? quod hinc progredi possumus. Recte enim Delitzsch (l. c. p. 26) ex inscriptionibus, quae carminibus illis inscriptae inveniuntur in graeca versione ad usum psalmorum eundem fere spectantes (cf. praeterea Sir. 50, 14–16 et inscr. hebr. ad ps. 92), conclusit, hos jam temporibus Ptolemaeo-seleucidicis ordine illo ad sacrificia diurna et dies festos esse cantatos, ergo jam hac ex re, quia ab origine eos hunc ad usum non esse destinatos constat, verisimillimum fit, psalmos temporibus aetati illi antecedentibus esse compositos.

4. Si alio argumento opus est, ut comprobemus, nimis arte nter se conjunctam esse a Stadio psalmorum omnium originem et carminum usum ad Dei cultum in templo secundo factum, id afferunt psalmi 42, 43, 69, 102, alii, quos omnes vel in exsilio Babylonico vel alio aliquo exsilio compositos esse omnes fere homines docti consentiunt, ut taceamus de Threnis, quorum caput 3. ipsum quoque est psalmus neque tamen adhuc quisquam ausus

est, hoc secundi templi temporibus attribuere. Si vero carmina haec sunt composita procul templo, quis tandem putare potest, ea esse conscripta usus illius sacri causa, imprimis temporibus captivitatis Babylonicae, quibus templo diruto nemo sciebat, reversurusne esset populus in patriam.

Colligamus sententiam nostram hac de re: si psalmos, quos liber I. continet, examinamus, invenimus carmina, quae ab origine coram templo ab ecclesia vel cantoribus cantata esse videntur, ps. 9, (10), 15, 20, 21, 24, 33 (fortasse 30, 32, 34, 40), alia, et precationes et cantationes, quorum poetam, cum ea diceret, ad templum affuisse apparet: 5, 23, 26, 27, 28 (fortasse 16, 17, 29, 36), alia, in quibus indicia nulla inveniuntur, ea usus sacri causa composita vel in templo dicta esse: 1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 11, 12, 13, 14, 18, 19, 25, 31, 34,12—23, 37, 38, 39, 41. Quorum psalmorum nonnullos eodem modo atque alios coram templo a poetis pronuntiatos esse, facile concedimus; hac de re infra, ubi de hominibus, qui in psalmis loquuntur, disputabimus; tamen constat, exsistere psalmos haud paucos, qui ab usu ad Dei cultum ecclesiae facto abhorreant, neque multos in primo libro esse psalmos, qui ab initio sint compositi, ut ab ecclesia vel cantoribus ad sacra diurna vel diebus festis musicae adjuncti canerentur. Atque ne hos quidem ita esse compositos, ut ea ratione, qua post exsilium carmina in templo sunt cantata, canerentur (cf. 1 et 2), argumentis perspicuis comprobari potest, quae tamen in carminibus certe post exsilium ortis inveniuntur permulta. Recte igitur hac de re judicasse nobis videtur Grätz: „Es wird sich nur bei wenigen Psalmen nachweisen lassen, dass sie geradezu und eigens für den Gottesdienst gedichtet worden, und noch weniger, dass sämmtliche Psalmen oder der grösste Teil je bei der Liturgie im Gebrauche gewesen wären.“ (cf. Comment. p. 36.)

II. At concedis, inveniri nonnullos in primo libro psalmos ad Dei cultum ab origine destinatos; hos vero ante exsilium in templo cantatos esse nemo credat. Qua de re haec disserimus. Ut praetermittamus Chronistae testimonium, qui, cum sacram musicam a Davide esse institutam enarret, certe eam perantiquam fuisse existimabat, cuius tamen testimonio pauci hodie fidem habent, inter Judaeos, qui revertebantur e captivitate Babylonica et cantores et cantrices fuisse Esra tradit. cf. 2,41, 65. Neh. 7,44, 67. Neque vero, cum non differat inter hos et illos, quos postea in templo cantorum officia executos esse enarrat, concludere possumus, eos nisi carmina profana et a rebus divinis aliena nihil

cecinisse, immo, jam ante templum restitutum eos cantores religiosos fuisse. Quis vero jam audivit, exstitisse cantores, nisi etiam canebatur? (cf. Baudissin: Gesch. d. israel. Priestert. p. 144. Kuenen l. s. c.) Quid? quod, etiamsi conjici potest, sacram artem musicam, si jam antea floruerat, liberationis e gaudio denuo evolasse, tamen non tum subito orta esse neque vix orta tantopere exculta et perfecta esse potuit, quantopere eam novi templi in consecratione fuisse audimus. (cf. speciem quoque exquisitam psalmorum eorum, qui certe temporibus exsilium subsequentibus sunt compositi.) Immo, jam multo ante arti illi Israelitas deditos fuisse, statuendum nobis est.

Quod quamquam ne Stade quidem denegat, tamen carmina, quae sint composita ante exsilium, omnino fuisse alia atque psalmos, qui nobis sint traditi, contendit. Qua in re assentiri ei non possumus. Antiquitus enim Deo carmina religiosa a populo ad sacra congregato cantata esse, testimoniis affirmatur gravissimis Exod. 15. 2 Sam. 6,5,15 sq. Aliud testimonium affert Amos 5,23. Stade quidem e vocibus his: הָסֵר מֵעָלַי הֲמוֹן שִׁירֶיךָ וְזִמְרַת נְבָלֶיךָ concludit: „Danach haben wir uns die Musik im vorexilischen Tempel wohl zunächst als zur Ausschmückung der Opfermahlzeit bestimmt zu denken, sie werden recht weltlich gewesen sein.“ Haec autem circumscriptio cantationum ad voluntatem facta est, quia de universitate coetuum sacrorum ad holocausta et sacrificia factorum, non solum de epulis sacrificalibus agitur. Quod vero censet, carmina illa „recht weltlich“ fuisse, eodem de jure potest concludi ex hoc loco, Israelitas illis temporibus nihil sacrificasse nisi animalia aegrota, clauda etc. Contrarium, quod propheta opponit in mente et sacrificiis et cantationibus illis, non pura sacra, religiosae cantationes sunt neque significat, victimas illis temporibus viles, carmina a rebus divinis aliena fuisse, sed vituperat Israelitas, quia offerunt sacra et carmina, cordis pietate et morum integritate non adjuncta, mente a Deo aliena. (cf. Jes. 1,11 sq. et Duhm: Theol. d. Proph. p. 172.) Omnes aliae loci interpretationes vi et arte sunt factae; demonstrat ille dilucide, Dei in honorem in templo Bethelico carmina religiosa musicae instrumentis adjuncta cantata esse. cf. Amos 8, 3,10, si vero illic, non est causa, cur dubitemus, quin idem in templo Hierosolymitano factum sit. Quod gravissime confirmat Jes. 38,20 cf. quoque Jer. 20,13. (cf. praeterea Köhler: bibl. Gesch. II. 2. p. 35 adn. 2.) Illas autem cantationes et vocibus alternantibus, ut fit in ps. 24 etc., et adhortationibus ad cantandum immixtis, ut fit in ps. 9, 22 etc., declamari potuisse, quia

habemus testimonia Exod. 15. Jud. 5, non planius demonstremus necesse est; quid? quod Jer. 33,11 dilucide tales appellationes, quales inveniuntur in psalmis, ab ecclesia jam ante exsilium in carminibus ad sacra dictis esse factas docet.

Evidenter nobis ps. 137 demonstrare videtur, jam in primo templo psalmos ad Deum esse emissos. Quem psalmum temporibus exsilium subsequentibus compositum esse negari non potest. In exsilio, quod conclusit Grätz, conscriptus non est, quia versus 1—3 agunt manifesto de rebus praeteritis; ante Babylonem urbem autem deletam eum esse scriptum, dilucide vv. 8 et 9 demonstrant. Qua re Dewette, Ewald, Hupfeld, Delitzsch recte eum temporibus inter 536 et 516 annos attribuerunt. Atque hoc in psalmo poeta usurpat voci „carmen de Zion" in v. 3 respondentem vocem „carmen de Jahweh" in v. 4, eandem notionem utrique aperte subjiciens. Dubitari igitur non potest, quin populus in exsilio jam habuerit carmina sacra et Deum et templum celebrantia, qualia invenimus in psalterio multa cf. exempli causa ps. 23—29 (etenim „de Zione" eandem vim habere atque „de habitaculo Dei, de templo", inter omnes constat). Illa vero non in exsilio demum oriri potuerunt, sed temporibus iis, quibus populus in terra Israelitica ad templum conveniebat.

Stadii autem argumentum, quod Ezechiel in lege, quam fert de novo cultu Dei, separatim cantorum et cantationum mentionem nullam faciat, quam facturus fuerit, si jam ante exsilium musica illa sacra fuisset pars gravis sacrorum, nos minime movet. Etenim nos ipsi supra conati sumus demonstrare, psalmos plurimos, de quibus disputamus, initio non cantatos esse ad sacra diurna musicae adjunctos, qualis usus est excultus post exsilium. Nostra ergo non interest, utrum haec musica diurna jam exstiterit ante exsilium necne — quamquam certe ne illud quidem argumentis perspicuis refutari potest —, sed de eo disputamus, omninone ad sacra sit cantum in templo primo. Ceterum ne de paucis illis psalmis quidem certe ab origine ad Dei cultum destinatis, ps. 9, 20 etc., Ezechielis silentium aliquid comprobat contra testimonia supra collecta, quae demonstrant, interdum, imprimis in diebus festis seu laetis seu lugubribus jam ante exsilium a populo coram templo esse cantatum ad musicae instrumenta. Omnino denique tali silentio, quale invenimus de musica sacra et in aliorum quoque prophetarum et in Regum libris, nihil demonstrari, satis elucet ex exemplis, quae collegit Köhler ad eos nuntios pertinentia, quos illi de omnibus rebus sacris Israelitarum attulerunt. (cf. l. c.

p. 165 adn.) Cantores ceterum, qui ad sacra canerent, jam ante Ezechielis tempora inter populum floruisse ex ipsius quoque libro elucet cf. 40,44. Ergo censemus, a nullo causas graves afferri posse, quibus comprobetur, psalmos illos, qui usus sacri causa sunt compositi, non ante exsilium componi potuisse.

Qua autem ratione est judicandum de psalmis iis, qui variis ex indiciis non quidem ab ecclesia universa coram templo ad sacrificia offerenda congregata, tamen ad templum vel cantata vel dicta esse supra statuimus, et de aliis, quae omnino non ad templum et congregationes sacras coram eo factas respicere inveniebamus, sed esse carmina vel precationes, nullo in ipsis indicio facto, ubi et qua ratione a poetis primum sint dicta? Adhuc nemo umquam negavit, jam ante exsilium homines aut singulos aut plures, ubi conveniebant, cognatos vel amicos vel omnino partes piorum sive in templo sive procul templo in Dei honorem potuisse carmina et hymnos canere aut ad eum mittere precationes, tamen huius quoque rei argumenta brevi colligemus. Sicut antiquitus ab Israelitis singulis sacrificia offerebantur cf. 1 Sam. 1,3, homines quoque singulos omnibus temporibus ad Deum precatos esse, varia habemus testimonia; atque precati sunt et omnibus terrae locis cf. praeter Gen. 18,23, 20,17, 24,12, 25,21. Exod. 32,11 sq. etc. 1 Sam. 6,8, 12,23. 2 Sam. 7,27, 20,2. 1 Reg. 17,20 sq., 19,14. 2 Reg. 4,33, 20,2. Prov. 15,8, 29,28. precationes omnes in prophetarum libris traditas Jes. 8,16 sq. Micha 7. Jer. 7,16, 11,14 etc. et ad tabernaculum sacrum templumque cf. 1 Sam. 1,10, 2,1 sq. 1 Reg. 8,22. 2 Reg. 11,4 sq., 19,14. Non vero singulos solum, sed etiam complures pios, ubi conveniebant ad templum, vocibus inter se conjunctis, emisisse ad Deum et hymnos et precationes, intellegis e Jesaia 38,9—20, quod carmen ab ipso Hiskia compositum post sanationem admirabilem una cum amicis ab eo in templo esse cantatum recte e versu 20 Grätz conclusit. (cf. Geschichte Isr. 2, 1 p. 253; nuntio, Hiskiam fuisse poetam, fidem esse habendam, infra exponemus), intellegis ex Habacucis carmine, c. 3. (cf. de hoc infra), concludere denique potes e variis Jeremiae precationibus, in quibus non loquitur pro ipso, sed pro piis cf. 10,19—25 etc., qua e re 20,13 quoque declaratur. Jam, si ex eius libro comperimus, convenisse populi turbas ad templum, ubi ille in pronao stans docebat et praedicabat cf. 26,7,9, nonne hac ex re conjectari licet, eos quoque populi viros, qui prophetam sequebantur et Deo soli confidebant, ibi una cum eo precatos esse? Has vero precationes, sicut ad omnes Semitarum gentes

(cf. imprimis psalmos Babylonicos et E. Meier l. c. p. 72, 77 etc.) ad Israelitas quoque (cf. Jud. 5. Jes. 38. Micha 7. Jeremiae precationes, 1 Sam. 2,1—10. Jona 2,1—10, etiamsi non sint ab Hanna et Jona dictae, satis hoc de more comprobant), saepissime sermone amplo, elato, magnifico, non cotidiano esse factas versibusque traditas, quis est, qui neget? Habemus praeterea testimonium Threnorum, imprimis c. 3; quod post urbem deletam inter pios ortum, non ergo ad usum sacrum ecclesiae universae compositum est, neque certe ex ipsius argumento post reditum populi ex captivitate ortum esse potest. Talia vero carmina (cf. psalmos quoque sine dubio in exsilio, ergo in coetibus quibusdam piorum ortos) non subito tamquam e nihilo oriri potuisse, nemo negabit, quicumque operum poeticorum originis rationem et historiam perscrutatus est; immo, jam multo ante exsilium artem poeticam ad religionem spectantem in populo Israelitico floruisse et carmina illis similia esse composita, concludendum nobis est.

§ 5. Disputatur, quinam fuerint homines, quos poetae psalmorum loquentes, precantes, laudantes induxerint.

Sequitur, ut alteram rationem examinemus, qua homines docti demonstrare conati sunt, omnes fere psalmos post exsilium Babylonicum esse ortos. Contra enim sententias doctorum hominum plurimorum (Ew. Hitz. Hupf. Del. etc.), qui censebant, psalmos longe plurimos vel dictos vel cantatos esse initio ab hominibus singulis, aut Davide rege aut propheta aliquo aut pio alio, imprimis e Dewettii incitationibus, qui quidem precationes illas ab hominibus singulis factas esse voluit sed ab iis, qui una cum aliis populi sociis iisdem calamitatibus laborassent (cf. Daub u. Kreuzers Stud. III. 2. p. 252 sq.), alii, inter quos imprimis Olshausen, Reuss, Smend, conjecturam jam ante Dewettium quoque conceptam (cf. Aben Esra) redintegrarunt, in psalmis omnino non loqui Israelitas singulos, sed multitudinem quandam, ecclesiam Israeliticam. Elucet, hac e re non statim concludi posse, psalmos omnes post exsilium esse compositos; si loquitur multitudo quaedam, non jam comprobatum est, eam fuisse ecclesiam Israeliticam ad templum congregatam, et si fuit ecclesia haec, non comprobatum est, eam fuisse ecclesiam illam, quae post exsilium in templo secundo sacra faciebat. Tamen est res notabilis, quod omnes fere conjecturae illius patroni statim concluserunt, carmina omnia, de quibus illo modo sit judicandum, post exsilium esse orta. (cf. Smend l. c.

p. 145 sq. etc.) Atque nos quoque concedimus, excepto fortasse uno aliove longe plurimos psalmos post exsilium compositos putandos esse, si demonstrari possit, psalmorum poetas in iis loquentem fecisse ubique ecclesiam ad sacra congregatam. Etenim, etiamsi fieri potuit, id quod infra planius demonstrabitur, ut psalmi nonnulli jam in templo primo ab ecclesia universa ante exsilium sint cantati, tamen dubium est, num jam tum ea ratione loqui potuerit ecclesia, qua fit in psalmis plurimis. Sed haec quaestio hoc loco nobis non est tractanda, quia conjecturam illam vanam esse elucebit.

Atque quia in id problema universum studiosissime incubuit Smend, omnia argumenta prius allata repetiit novis multis additis, de explicatione eius sola disputabimus. Qui duabus in rebus ultra priores eiusdem sententiae patronos progressus est, primum interpretandi rationem, quod psalmi ab origine dicti sint ab ecclesia, omnibus de carminibus adhibens (cf. Theol. Litt.-Zeit. 1889 rec. Hupf.[3]) — Reuss autem et Olshausen parvam precationum partem ab hominibus singulis esse factam censebant —, deinde persaepe demonstrare operam dans, re vera in carminibus prosopopoeiam esse factam, ecclesiam, tamquam sit unus homo, loquentem inductam esse, non simpliciter usurpatam esse „ego“ vocem pro „nos“ voce, cum Olshausen censeret, „ego“ vocem adductam esse more in Dei cultu adhibito, quod unus homo, liturgus, qui dicitur (מַקְרֵא), pro ecclesia precationes et carmina dicebat.

Antequam autem disputationem suscipiamus, hoc dicamus, duas esse res, quibus non acriter examinatis Smend falsis conjecturis et propositionibus usus hac de quaestione disputare coepisse videtur. Primum enim accurate declarare debuit, quam rem voce „Gemeinde“ significari censeat, qua persaepe, varia tamen notione subjecta utitur. Tum enim adhibet vocem, tamquam significet ecclesiam Israeliticam universam ad templum congregatam (cf. p. 50 adn. 1 etc.), tum, ubi huic notioni argumenta quaedam repugnant (cf. ad Threni 3 p. 62 adn. 3. ps. 42 p. 111), subito loquitur aut de „Volk“ aut de „eine exilierte Gemeinde“; his locis ergo non agi censet de ecclesia, quae (post exsilium) coram templo sacra faciebat, sed de multitudine aliqua Israelitarum. Quam vim si ubique voci tribuisset Smend, plerumque cum eo consentiremus, quod infra elucebit. Quia vero de iis quoque psalmis, in quibus templi et sacrorum nulla mentio fit cf. ps. 7 etc., semper fere ita disserit, quasi fuerint precationes ab universa ecclesia ad templum congregata dictae, sententiam eius refutare debemus.

Arcte hac cum re cohaeret propositio altera, quam falsam

esse jam supra apparuit, hanc dico, quod omnes psalmos ad Dei cultum in templo factum et destinatos et adhibitos censet (p. 50); non satis Smend argumentum a multis praetermissum spectavit, inveniri in psalterio carmina tam varia, ut nequaquam eodem modo omnia ab initio usus sacri causa existimari possint composita; quid? quod huic usui carminum multorum argumenta dilucide repugnare inveniebamus. Smend vero a propositione illa falsa profectus nihil demonstrare studet nisi, voces et enuntiata psalmorum ab ecclesia dici potuisse; tamen antea demonstrare debuit, carmina vel omnia vel plurima usus sacri causa esse composita. Tamen negandum non est, argumenta varia e psalmis ipsis ab eo esse allata, quae cum primo aspectu sententiam eius probare videantur, nunc examinanda nobis sunt. Quamquam si tractare vellemus quaestionem penitus, dissertationem separatam hac de re conscribere debemus; contenti erimus, si quam brevissime eam in animo consideraverimus. Ac primum quidem causas ab illo allatas, cur interpretandi ratio adhuc facta falsa sit existimanda, examinabimus et refutabimus, deinde demonstrabimus argumentis dilucidis, rationem ab illo propositam non esse accipiendam, ad extremum, quae sit nostra hac de quaestione sententia.

I. 1. Smend hac ratione argumentatur. In psalmi 6 versibus 1—7 poeta queritur de morbo gravissimo, e versu 8 vero homo precans a persecutoribus quoque vexatur. Haec autem vexatio fuit singularis quaedam: „Von Seiten der zahlreichen Verfolger droht dem Redenden nicht unmittelbar der Tod, er meint vielmehr an dem Kummer zu sterben, den sie ihm bereiten. Diese verschiedenen Momente müssen zu einem Gesammtbilde vereinigt sein und nicht einen blossen Seelenzustand als vielmehr leibliche Krankheit schildern. — Unmöglich kann die Verfolgung, die ein einzelner leidet, unter dem Bilde einer Krankheit dargestellt werden und zwar so, dass wir von der Verfolgung zunächst überhaupt gar nichts erführen und erst nachträglich merkten, dass es sich eben nicht um Krankheit, sondern um Verfolgung handele.“ Simile quid censet Smend inveniri in pss. 22, 30, 38, 41, 102 etc. (cf. p. 68 sq., 79 etc.) Ac primum quidem nos nullam vim attribuere possumus causae, qua nixus est Smend iterum iterumque, hanc dico, quod poetae non dilucide sententias suas exposuissent, status, conditiones, in quibus versabantur, singulari modo occultassent, si in carminibus homines singuli res suas enarrarent; non vero necesse erat exponerent aequalibus, qua de calamitate agerent; etiamsi tropis figurisque utebantur, ab illis voces recte intellegebantur,

quia pericula, quibus poetae vexabantur, oculis spectabant. Quid? quod etiamsi psalmum ab ecclesia dictum esse interpretamur, dum cognoscamus e versu 8, de hostibus agi, haud scimus, qua calamitate sit affecta, utrum fame an pestilentia an aliis. Itaque hoc solum nobis est quaerendum, utrum ita vexationes et persecutiones hominibus singulis illatae enarrari a poetis potuerint, ut morbi figura uterentur, etiamsi non antea exposuerunt, tropice voces esse percipiendas, necne.

a) Habemus, ut unum alterumve testimonium, vere illa enarrandi ratione usos esse poetas, afferamus, testimonium precationis Siracidae. (c. 51.) Est precatio, quam ab homine uno esse factam, negare nemo potest. Smend quidem negavit (cf. p. 145 adn. 1: „das Lied des Sir. 51,1—12 wird dort nicht auf die Person des Siraciden bezogen und muss wie 33,1—11, 36,16 b—22 ein Gemeindegebet sein.") Sed quo jure separat sententiam de v. 1—12 a judicio de v. 12—30? Diversos fuisse homines loquentes in prima atque in altera capitis parte, nulla re indicatur. Neque vero hanc esse dictam ab ecclesia, elucet e versu 13: *ἔτι ὢν νεώτερος* omnibusque versibus subsequentibus. (cf. Fritzsche quoque: kurzgef. exeg. Handb.) Quo autem ducat Smendii studium, allegorias ubique inveniendi, intellegis ex interpretatione, qua utitur de v. 5: „man hatte die Gemeinde bei ihrem Oberherrn verleumdet." Satis sit, nos non dubitamus, quin contineat caput illud unius hominis precationem. Atque eadem ratione invenimus in illo sententias inter se conjunctas atque in psalmis cf. v. 2: *ἐλυτρώσω τὸ σῶμά μου* — v. 7. Qua de re hoc loco agitur? Deus servavit corpus hominis precantis; quod si audit, unusquisque censet, poetam de morbis vel persecutionibus loqui; subito autem agitur de labiorum insidiis, subito rursus de periculis, quibus vexata anima appropinquavit ad mortem.

b) Deinde, et morbos, tamquam sint conjuncti cum inimicorum persecutionibus, et persecutiones, tamquam sint conjunctae cum morbis, enarrari persaepe a poetis Israeliticis hoc modo orationem exornantibus, intellegimus e libro Jobi. Concedimus, omnia fere, quae in eo narrantur, non ita facta, sed ficta esse. Attamen ex eo elucet, et ab universo populo Israelitico et a poetis calamitates depingentibus omnia illa mala inter se artissime connexa cogitari. Etenim primo audimus, Jobum corpore aegro esse, elephantiasi laborare, tum, quamquam poeta nequaquam indicavit, se quidquam novi dicere, narratur, illum ab inimicis turbari eique maledici, ad extremum, eum etiam ab his vulneratum esse. cf. 6,23, 9,24, 10,3, 11,20, 15,20, 16,9,11, 19,7, 20,5, 21,7,18, 24,14, 27,7, 30,21,

31,18 etc. Intellegimus igitur, non ita esse, ut nos variis e rebus, quas poeta enarrat, unam imaginem mente fingere possimus; immo, ars poetica hebraica vigore et ardore abundans alteram rem cum altera conjunctam depingebat, calamitates, pericula, querelas cumulabat, non ubique diligenter circumspiciens, an veritas descriptioni responderet et vere semper essent illae calamitates inter se connexae. (Tranquillo animo exspectamus Smendii demonstrationem (cf. Theol. Litt.-Zeit. l. c.), jam prioribus temporibus tentatam (cf. imprimis Seinecke), quae quidem Smendio denuo suscipienda est, quia alias unus ille liber argumentum gravissimum ab eo allatum refellit, hanc dico, quod poeta, qui illum conscripsit, Jobi res, orationes etc. enarrans non unius hominis tentationes, calamitates, conservationes exponere voluerit, sed populi Israelitici universi; adhuc e sententia omnium fere hominum doctorum refutata illa existimanda est. (cf. Dillm. Hitz. Del.)

c) Venimus ad tertium testimonium illudque gravissimum, Jeremiae. Legimus enim in prophetae libro: „Quare dolor meus est aeternus et vulnus meum dolorosum repudiat sanari?" (cf. 15,18). Quod a Jeremia de se ipso esse dictum neque eum ecclesiam Israeliticam illa dicentem induxisse, elucet e vv. 15 et 19. Quid vero est vulnus, de quo queritur? Num corporis? (Smend quidem ad hunc locum adnotat: „Natürlich ist es ganz etwas anderes, wenn Jeremia einmal (15,18) die Endlosigkeit seiner Leiden mit einer unheilbaren Krankheit vergleicht. Da liegt die Bildlichkeit der Redeweise am Tage." Nos tamen non possumus invenire, qua re hoc loco indicetur dilucidius quam in psalmis, comparatas esse vexationes cum morbo, neque est discrimen ullum inter prophetae et psalmorum, quos supra collegimus, 6 etc., voces, nisi hae sunt magis expositae et explicatae.) Clamat in capitis 17 versu 14, neque enim iterum ulla re indicatur, prophetam hoc loco loqui pro populo (cf. Hitz. Keil. etc.): „Sana me, sanabor", interrogamus: qua ex aegritudine? Tamen non est aegrotus, sed loquitur de persecutoribus, cf. 15,16, 17,18, qui et vocibus insidiabantur cf. 17,15, 18,18, 20,10 et interficere eum volebant cf. 11,19,21. Qui talia a poeta inter se conjungi posse negat, nequaquam, quantus fuerit ardor affectuum hominum orientalium, satis cognovit. cf. Jer. 45,3. Similia invenimus in carminibus arabicis et babylonicis (cf. d. bab. Busspsalmen, comment. Zimmern; imprimis IV et V, ubi plane easdem sententias inter se connexas invenies: calamitates — dolores — hostes.) Semper ergo agitur in carminibus illis de inimicitiis ab impiis piis vel linguis vel manibus illatis, quia vero has perse-

cutiones dolores et animae et corporis sequuntur, poetae orationem exornantes persecutiones et dolores persaepe inter se conjungunt eadem ratione, qua calamitates et peccata cf. Jes. 38,17, Ps. 39,12. (adn. Delitzschii in comment.) Etenim constat rejiciendam esse sententiam Ewaldii, qui psalmum 6 carmen hominis aegritudine laborantis existimabat; cui interpretationi repugnat versus 8. Concedimus quidem, in carminibus nonnullis difficile esse definitu, qualis fuerit conditio poetae, sed hoc indole orientalis artis poeticae, vehementibus affectibus ideoque orationis figuris abundantis, adducitur similesque interpretandi difficultates in aliorum quoque populorum, imprimis Semiticorum carminibus inveniuntur.

2. Transimus ad alteram causam a Smendio allatam, cur loquatur in psalmis ecclesia, hanc dico, quod homines singuli habere non potuerint in pectore tantam salutis certitudinem, ut subito e querelis terribilissimis, quales inveniamus in psalmis, et desperatione permagna transire potuerint ad gaudia et laudes Dei. (cf. ad ps. 22 p. 78 etc.) Cohaeret cum hoc arcte argumentum illud aliud, quo Smend nititur, quod poetae, si de ipsis loquerentur in psalmis, rebus suis nimiam vim tribuissent, eas Dei esse pronuntiantes, ab hoc postulantes, ut servarentur promittentes, se Deum esse carminibus laudaturos, quasi esset res gravis, profitentes, se gaudere de adventu diei Dei. Censet Smend, id quod planius exposuit in Theol. Litt.-Zeit (l. c.), ante Jesum Christum Israelitas singulos nequaquam jam hoc modo Dei necessitudine, ne dicamus familiaritate usos esse, ut talibus vocibus cum eo loqui potuerint, qualibus fit in psalmis, immo nisi ecclesiam Israeliticam universam ita dicere neminem potuisse.*)

Quaestionem universam infra accuratius tractabimus, ubi de usu, qualis ante exsilium fuerit hominibus singulis cum Deo, dis-

---

*) Explicatio accurata, quam se conscripturum esse promisit Smend, ut declaret subitum transitum in carminibus a querela ad spem et vice versa factum, exspectanda est; demonstrare enim vult, perfecta plurima, quae adhuc ad res praeteritas homines docti referebant, tamquam perfecta prophetica, quae dicuntur, ad tempora messianica esse revocanda, quae non homines singuli, sed ecclesia exspectasset. Adhuc sententia eius legibus grammaticorum offendens existimanda est. (cf. Delitzsch ad ps. 126.) Interpretationem vero vulgarem nimias difficultates secum ferre, nemo contendet, qui memoria tenebit, psalmos esse fidei luctationes tum a salutis certitudine tum a desperatione incipientes et per maerorem ad spem pervenientes, a gratiis per querelas ad precationes; cf. vicissitudinem quoque celerem affectuum in Jeremiae precationibus 20,7—18 etc., item in ps. 18: v. 4—20, v. 21—32, v. 33—49, v. 50, 51. An vv. 4—20 quoque ad res futuras sunt referendi?

putabimus, hîc satis erit, si demonstraverimus, Israelitas singulos interdum ea ratione, qua fit in psalmis, de se suisque rebus cum Deo loqui potuisse, disquisitione, utrum jam ante exsilium fieri potuerit necne, adhuc omissa. a) Ac primum quidem eandem fere dicendi rationem, quam in psalmis, invenimus in precatione Siracidae (c. 51). Quid? quod hîc omnia enunciata, quae Smend e psalmis attulit, ut eos ab ecclesia dictos esse demonstraret, eodem modo ab uno homine dicta invenimus. Deus hominum singulorum rex appellatur v. 1; summis e periculis Deum servaturum esse ipsum poeta confidit, magnis in calamitatibus subito de salvatore illo gloriatur, promittit, se Deum esse laudaturum, quia ab eo sit servatus. v. 1, 11, 8—10. b) Est deinde universus liber Jobi testimonium gravissimum. Dei amorem, iram, justitiam ad unum Jobum poeta refert cf. 9,13—16, 10,2 etc. Quid loquamur de omnibus aliis operibus e sapientium, qui dicebantur, scholis ortis? Unumquodque proverbiorum caput demonstrat dilucide, pios singulos quoque Israelitas Dei necessitudine usos esse. c) Invenis idem in Nehemiae precationibus, qui tantam vim attribuit et sibi ipsi et rebus suis, ut Dei oculos in se convertere conatus iterum iterumque dicat: זָכְרָה-לִּי אֱלֹהַי עַל-זֹאת cf. 1,6, 4,4 sq., 6,14, 8,6, 13,14,22,29,31. d) Hîc quoque Jeremiae testimonium habemus gravissimum. Qui si loquitur 11,20: אֶת-רִיבִי אֵלֶיךָ גִּלִּיתִי et si Jahweh ei respondet v. 22: הִנְנִי פֹקֵד עֲלֵיהֶם, nonne hic est idem hominum singulorum cum Deo usus, quem invenimus in psalmis? cf. quoque Jer. 12, 15,15,19,20, 17,14—18, 18,19, 20,7,12. Dicit Smend: at est propheta, at populum loquentem inducit. Hoc locis perpaucis fieri, jam supra demonstravimus, locis vero citatis semper loquitur propheta de rebus ad ipsum solum pertinentibus. Illud verum est, at, si quidem propheta putabat, Deum suum esse adjutorem, vindicem, judicem, nonne eandem confidentiam habebant omnes, qui partes eius sequebantur? e) Idem illud Deus ipse enuntiat Jes. 43,7: כֹּל הַנִּקְרָא בִשְׁמִי וְלִכְבוֹדִי בְּרָאתִיו etc., nonne ergo לְמַעַן שְׁמוֹ, quod legimus in ps. 23,3, pium quemque Israelitam servabit? Hoc quidem constat, Israelitas cogitasse, prius et magis Dei intentionem directam et animum attentum esse in populum, quem sibi elegerat e gentibus, quam in Israelitas singulos, tamen nequaquam hos hac e providentia exclusos esse putabant. Thesis Smendii: „einem derartigen Postulat Deuterojesaias entsprach keineswegs das Bewusstsein und der Anspruch der einzelnen Frommen“, omnibus argumentis, quae jam attulimus, repugnat; cf. quoque Jer. 15,16. Non magis assentiri possumus Smendii

aduotationi ad eundem psalmum factae: „der Hirt weidet nicht einzelne Schafe, sondern eine Heerde". Recte quidem, nonne tamen unaquaeque ovis pastorem gregis ipsius pastorem existimat? cf. praeterea Gen. 48,15. Sach. 11,4, 14.5. 1 Chron. 29,17. 2 Chron. 6,19. Dan. 9,4. Esra 9,5. Etenim etiamsi de versu 6 dici possit, Esram loqui pro populo, in versu 5 hoc certe non fit. hic ergo suum Deum ille Deum appellat. f) Argumentum denique aliud afferunt psalmi ipsi, etenim, etiamsi quis eos esse precationes ab ecclesia dictas censet, negare tamen non potest, psalmos ipsos variis locis pronuntiare, singulos quoque Israelitas Dei necessitudine uti; quid? quod hanc ipsam certitudinem afferunt causam, cur Deus ecclesiam servaturus sit. cf. ps. 7,11, 9,13.19. 17,7, 25,8, 31,20,24, 32,6, 34,8,20,23, 35,10, 36,11, 40,5, 41,1—4, universum psalmum 37.

3. Tertium argumentum a Smendio allatum, quo quidem non nimis se niti velle dixit (cf. p. 82 sq.), hoc est, quod non solum, si homines singuli exsecrationes adversariorum, gaudia de inimicorum calamitatibus, qualia invenimus in psalmis, enuntiassent, valde essent vituperandi, sed omnino vix putari posset, hoc modo locutos esse Israelitas singulos de aliis hominibus singulis. Facile vero illas voces furoris et odii declarari posse censet, si ecclesia universa in psalmis de regni divini hostibus omnibus dicere existimetur. Sed Smendium hac quoque in re non recte judicasse de poetarum orientalium affectibus, iterum comprobant Sir. 25,7, Joh. 3,3—10. Jer. 18,21—23 (אַל-תְּכַפֵּר עַל-עֲוֹנָם) 12,3, 20,14—18, 31,18 etc., quibus locis eundem invenimus atque in psalmis affectionum ardorem eumque in hominum singulorum orationibus vel precationibus.

Non ergo est, cur accipienda nobis sit Smendii sententia e causis ab eo commemoratis. Dixerit quispiam, nos semper fere eadem eaque pauca testimonia adhibuisse, ut argumenta ab illo allata refutaremus. Verum est, sed hac in re nihil comprobare quidquam potest nisi precationes, quia de precationibus disputatur. Tales autem non invenis, si psalmos demis, in vetere testamento traditas permultas, atque alias, quas invenis, Smend item atque psalmos ab ecclesia esse dictas decrevit. Nobis vero proficiscendum erat a precationibus, quas homines singulos locutos esse, non facile quisquam negare potest; in quibus intelleximus semper fere eadem inveniri, quae in psalmis nobis primo aspectu aliquid offensionis praebent, si carmina ab hominibus singulis dicta ea existimamus.

II. Sequitur, ut colligamus argumenta, quibus aperte refellitur Smendii sententia atque rationem interpretandi ab eo propositam non esse adhibendam demonstratur. 1. Ac primum quidem memoria est tenendum, plurimorum populorum religiosam artem poeticam ita esse ortam, ut homines singuli in ipsorum periculis, maeroribus, gaudiis carmina componerent, postea autem haec ab ecclesia ad Dei cultum adhiberentur (cf. carmina sacra babylonica et imprimis carmina, quae ab ecclesia nostra evangelica canuntur. F. W. Schultz l. c. p. 13). Quia vero Israelitis quoque singulis cum Deo usum fuisse supra intelleximus (cf. I. 2), verisimile est, in psalterio inveniri cantationes, quas Israelitae pii ad ipsorum res spectantes composuerunt et Deo dixerunt. Supervacaneum ergo est, Smendii orationes nimias refutare, quales inveniuntur in p. 53: „Wie kam es, dass das jüdische Gemeinbewusstsein ein so ungeheures Anlehen beim religiösen Individuum machte?“ et p. 143: „das umgekehrte ist widersinnig und unannehmbar.“ Immo, Smendii ratione interpretandi adhibita psalmis demitur magna pars vigoris et caloris, quem prae se ferunt, si ad calamitates, conservationes, gaudia piorum quorundam revocantur (cf. Hupfeld l. c. § 4, E. Meier l. c. p. 371. 448 sq. Smend ipse idem concessit p. 79 infra, Geiger l. c. p. 180 sq.).

2. Ne quis false haec intellegat, praemittamus, nos hoc loco non quaerere, utrum loquantur in psalmis Israelitae singuli an una cum aliis amicis, sociis, cognatis, sed an dixerit eos ecclesia Israelitica ad sacra congregata ut unus homo loquens a poetis inducta, quod quidem non de omnibus, tamen de plurimis psalmis Smendium contendisse supra exposuimus. Constat et denuo Smend demonstravit, saepe esse prosopopoeiam, quae dicitur, adhibitam in vetere testamento, et ubi agebatur de ecclesia a scriptoribus et ubi ipsa appellabatur. Loquuntur igitur scriptores de calamitatibus et vulneribus, de corpore et anima, de juventute et vita ecclesiae, quia ecclesia est res, de qua agitur, et quisquis libros illorum legit, comparationem praecisam a scriptoribus adhibitam esse intellegit. Quid? quod scriptor, si ecclesiam inducit, eam tamquam sit unus homo, loquentem facere potest, quia tum quoque omnes intellegunt, comparatione illum uti. Non vero censemus, ecclesiam ipsam precantem quasi unius nomine loqui potuisse. Personae enim fictio illa est figura, quam adhibere potest homo, qui loquitur de ecclesia, neque vero ecclesia ipsa, si in sacris loquitur. Ecclesia quidem Iudaica posterior, cui carmina illa tradita erant a patribus, si canebat psalmos, eos ad ipsius res,

pericula, conservationes referebat, tamen hoc plane aliud est, neque quidquam hac re comprobatur, a quibus initio psalmi sint dicti. Smend ne unum quidem exemplum attulit e vetere testamento, quo demonstratur, ecclesiam congregatam in precationibus etc. ad Deum locutam esse tamquam unum hominem. Immo, omnibus in precationibus, quas ecclesia dixit, utitur voce „nos“ cf. Esra 9. Neh. 9, Dan. 9, 2. Chron. 206—12, Threni 4,5, Sir. 33, 1—11, Judith 16,2—17; si in uno aliove versu invenitur „ego“, id eo more fit, quod unus precantibus pracibat, alii quisque, quae ille precabatur, ad ipsum revocabat et voce „ego“ utens repetebat, numquam vero ecclesia tamquam homines singuli de ipsa loquitur in precationibus. Etenim, ut practermittamus carmina Exod. 15 et Jud. 5, in quibus, etiamsi sint a populo cantata, numquam tamen demonstrari potest, loquentem esse universum populum, — immo singuli homines canentes de se quisque loquebatur voce „ego“, omnia alia exempla, quae attulit Smend, omnino huc non referenda sunt. In precationibus enim et Micha 7 et Hab. 3 et Ier, 10, 23—25 etc. et in Thren. 1 1—11 cf. 11—22 et in Deuterojesaiae orationibus ecclesia est res, de qua agunt scriptores vel poetae, quam proponunt rem objectam; hîc ergo ecclesiam, tamquam sit unus homo, loquentem facere possunt, quia figura eos uti statim omnes intellegunt. Et si quis dicat, tertium caput Threnorum reliquis serius esse additam, antea fuisse ecclesiae precationem, in hoc ergo ecclesiam ipsam de se dixisse voce „ego“ usam (cf. Smend p. 62 adn. 3), non esse figuram a scriptore ecclesiam loquentem describente adhibitam, nos respondemus: hoc iterum est carmen, in quo non loquitur ecclesia ut unus homo, sed pii complures, qui de se quisque voce illa utebantur. Eadem denique ratione de Deut. 26,3. 26,5 sq. 13 sq. judicandum est, ubi legislator ecclesiam voce „ego“ de ipsa loquentem inducere potest, in usu tamen sacro voces ab hominibus singulis sacrificantibus ad ipsos, non ad ecclesiam esse relatas, satis constat. (cf. Schürer: Gesch. d. jüd. Volkes II p. 197, Smend ipse idem concessit p. 62 actu 1). In psalterio Salomonis non negamus ecclesiae tamquam uni homini orationem esse attributam, imprimis, ubi loquitur de filiis cf. 1,3. 2,6. etc. (non quidem ubique, ut statuit Smend cf. Wellhausen: Phariss. u. Sadduc. ad ps. 16 etc.). Sed, quid hoc comprobat? Scimus, illos psalmos compositos esse temporibus, quibus nimis allegorizandi artem ex artibus scripturae doctorum didicerant Judaei et psalmos Davidicos quoque hac allegorizandi ratione interpretari coeperant ad ipsorum res eos

revocantes. Sed quo jure hanc rationem carminum componendorum nimia arte factam, cuius nondum ullum invenimus in vetere testamento vestigium, attribuere possumus temporibus plane aliis, quibus psalmi hebraici sunt compositi? Contra haec testimonia a Smendio allata, nimis infirma, deliberandum proponimus, quod, etiamsi concedamus, Hiskiae, Hannae, Habacucis cantationes ab origine ecclesiae usui fuisse destinatas, qua de re infra, tamen Judaei, qui libros veteris testamenti tractaverunt postremo et eam in formam redegerunt, qua nobis sunt traditi, carmina illa ab hominibus singulis esse dicta censuerunt illisque attribuerunt. Item psalmi plurimi Israelitis singulis, Davidi, Salomoni, Asapho etc. sunt ascripti. Atque etiamsi Smend (p. 143. 145) jure quodam contendere potest, Davidem eiusque res jam temporibus persicis et graecis esse existimatas populi Israelitici eiusque rerum exemplar, Hannam quoque, Hiskiam, Asaphum fuisse populi typos, ut graeca voce utamur, sententia fortasse rabbinorum fuit, in vetere testamento nusquam invenitur.

3. Smendii sententia hac re refutatur. In universo psalterio nullus demonstrari potest locus, quo non „ego“, „meus“ etc. voces ad homines singulos referri possint, si excipimus unum 129,3: עַל־גַּבִּי חָרְשׁוּ. Atque hoc iterum in versu 1b indicatum est dilucide, populum loqui, ergo figuram a poeta esse adhibitam. Si vero perlustramus carmina alia, in quibus vere ecclesiam loquentem esse inductam constat, varia invenimus ubique enunciata, quae dilucide indicant, carmina non ad homines singulos referri posse, sed ab ecclesia dicta esse cf. Hab. 3,14 לַהֲפִיצֵנִי, Jer. 10,24 פֶּן־תַּמְעִטֵנִי, imprimis בָּנַי cf. Jer. 8,39. 10,20, Thren. 1,16, Ps. Sal. 1,3. 2,6,24 etc. Ubi tale aliquid invenis in psalmis?

4. Praeterea breviter attingamus argumentum quartum, quo comprobari nobis videtur, in psalmis illis non fieri personae fictionem. Quicumque perlustrat carmina vel precationes, quae nobis traditae sunt certe ab ecclesia dictae, negare non potest, plane aliam esse naturam harum atque psalmorum. Ubi ecclesia coram Deo precatur, ne se perdi sinat, ut se adjuvet, affert causam, cur ad eum appropinquare possit, saxum, quo nitatur, illud, quod ipsam elegit e gentibus, quod icit cum patribus foedus. Hanc rem ei in memoriam revocat modis variis cf. Jerem. 6,42. 14,21. 17,13, Neh. 9,8,32, 1 Chron. 29,18, 2 Chron. 6,14,17,38. 20.8, Deut. 26,15, Micha 7,20, Exod. 15,13, Dan. 9,4,11,18,19, Sir. 33,8. 36,12 sq., 1 Macc. 4,10, Ps. 105,8. 106,45. 111,9. 44,18. 94,5,14. In psalmis reliquis librorum postremorum certe statim usus sacri

causa conscriptis non invenis saepius mentionem illarum rerum, quia plurimi sunt hymni Deum laudantes, in quibus, quod e rei natura sequitur, tales sententiae non tam saepe enuntiari poterant, ut in precationibus miserorum e calamitatibus eum implorantium. Si vero carmina, quae tradita nobis sunt in primo libro, perlustrantes audimus querelas lamentantes, e quibus summo studio ad spem salutis contendunt poetae, quanam re nituntur? Justitia Dei et gratia, ipsorum quoque moribus invituperabilibus (ps. 7,18) saepius eo, quod ament Deum cf. 5,12. 9,11. 26,6. 31,25 etc.). Nullo vero loco enuntiant, id quod, si esset ecclesia loquens; persaepe certe in psalmis inveniremus, Deum ipsos elegisse, cum patribus foedus inisse, eam ob rem non se rejicere posse. Duos locos, quibus tale in primo libro invenitur, afferre possumus, ps. 22,4—6 et 33,12; haec autem esse carmina ab initio ad Dei cultum destinata, jam supra intelleximus. In iis quidem non ecclesia quasi unius nomine, tamen homines complures coram templo congregati ad se quisque spectans et voce „ego“ utens loquuntur, qua re eo magis confirmatur, psalmos reliquos non fuisse ab initio precationes ab ecclesia dictas. Ps. 25,10 huc referri non posse, elucet.

5. Jam Schuurmanns-Steckhoven (Z. A. W. 89 p. 131—35) eos locos collegit e psalmis ipsis, quibus eos ab initio ecclesiam universam dixisse dilucide refutatur. Quam collectionem ut amplificemus et suppleamus, distinguimus duo locorum genera, alterum eorum, quibus homo precans talibus vocibus de ipso loquitur, quales in prosopopoeia, quae dicitur, adhiberi non possunt et e quibus ab hominibus singulis psalmos esse dictos elucet, alterum eorum, quibus de ecclesia tamquam de re homini cautanti objecta agitur. Ac primum quidem genus invenis: ps. 7,5. 16,10. 22,10. 23,6. 26,9. 27,4,10. 30,10. 31,6,12. 35,11—14. 37,25. 39,5,6. 41,6,10. 51,7. 55,14 sq. 62,4. 63,5. 69,9. 71,6,9,17. 86,16. 88,9,19. 102,25. 104,33. 116,16. 119,62. 139,15. Qui sunt loci gravissimi, alios cognatos varios praeterea invenies. Ad locos quoque 22,26. 56,13. 61,9. 66,13. 116,14, similes animi attentionem vertamus. Num exstiterunt ecclesiae quoque vota? Locus Nah. 2,1 ad homines singulos in terra Judaica habitantes figurâ significatos, est referendus. Quo vero talibus locis, quales citavimus, allegorizandi ars ducat, ipse quisque apud Smendium legat. Jam praetermittamus, eum interdum etiam deverticula quaesisse (cf. adnotationem ejus ad ps. 69,9, ubi censet voces esse „sprichwörtliche Redensarten“.) Nonne etiam psalterium Salomonis docet, ne temporibus quidem

post Maccabaeorum bella personae fictionem in carminibus tantum esse amplificatam, quantum factum esset in psalmis, de quibus disputamus, si vere in iis loqueretur ecclesia ut unus homo. Etenim, etiamsi in psalterio illo ecclesia loquitur de corpore, de anima, de filiis, nusquam tamen de senectute, de vitae diebus, de descensu ad inferos, de parentibus, amicis, cognatis, quod invenimus in psalmis hebraicis ubique.

6. Transimus ad alterum locorum genus, eorum, quibus homo vel canens vel precans loquitur de ecclesia aut parte eius tamquam de re objecta, se ipsum ab illa separans, qua e re illum non fuisse ecclesiam elucet cf. ps. 4,3—6. 22,23. 34,4. 35,18. 54,12. 62,9 69,7. 109,30. 116,14. 142,8 (cf. 14,7. 25,22. 28,9. 16,3. 22,7. 35,27. 40,10. 41,10. 38,12. 69,33. 73,1,2,15. 78,1. 111,1. 119,63,79,99,100. 122,11). Smendii explicationibus, quas attulit ad hos locos, nequaquam assentiri possumus. Etenim ad ps. 22,23,26 adnotat: „Bei der zweifellos nachexilischen Entstehung (?) des Liedes erledigt sich dieser Einwurf schon damit, dass Not und Rettung zunächst natürlich nur die Gemeinde in Judaea betrafen, nichtsdestoweniger aber die Judenschaft der ganzen Welt angingen." Si vero ad Judaeos in orbem terrarum dissipatos spectaret psalmus, qua tandem ratione „in medio eorum" se laudaturam esse Deum, ecclesia exspectare potuit? Immo, haec interpretatio ficta et commenticia est, nam e psalterio Salomonis, precationibus Siracidae, aliis discere possumus, quibus vocibus dilucidis ecclesia significaverit fratres sparsos cf. Ps. Sal. 1,3. 2,6. 8,24,34 etc. Sir. 33,11,12 etc. Ad aliud vero Smendii enuntiatum: „Uebrigens sieht man nicht ein, weshalb die Gemeinde nicht zwischen sich selbst und ihren Gliedern unterscheiden könnte, Israel ist verschieden von den Israeliten und Rahel von ihren Kindern," primum est respondendum, quod jam exposuimus (cf. arg. 2), aliam esse rem, si scriptor ecclesiam a liberis eius distinguit aut illam de his loquentem facit, aliam, si ecclesia ipsa de liberis loquitur. Deinde vero thesis illa ad plurimos locos, quos collegimus, nequaquam pertinet, quia iis non ecclesia a liberis vel singulis hominibus, e quibus est composita, discernitur, sed aut a fratribus aut ab ecclesia ipsa ita, ut, qui assentiuntur Smendio, locos illos interpretari debeant hac ratione: ecclesia canere vult media in ecclesia, quae interpretatio est rejicienda.

III. Has habemus causas, cur Smendii sententiam de hominibus, quos poetae psalmorum loquentes induxerint, rejiciamus. Ecclesiam tamquam sit unus homo ne in uno quidem carmine

loqui censemus, immo ubique homines singulos. Neque tamen negamus, esse inter illos tales, qui ab initio sint destinati ad Dei cultum, ut ab ecclesia ad sacra canerentur; hoc vero ea ratione fiebat, ut unusquisque eorum, qui convenerant, omnia carminum enunciata, in quibus utebantur vocibus „ego", „meus" ad se ipsum neque ad ecclesiam referret (etiam in ps. 116. 118, sicut in Exod. 15). Nos ergo poscimus, ut argumenta dilucida e carmine unoquoque afferantur, quibus comprobetur, homines, qui primo illud cecinerunt, fuisse ecclesiam ad templum congregatam. a) Atque, cum argumenta quaerimus, invenimus, quod supra jam elucebat (cf. § 4. I), in primo libro psalmos 9. (quare ps. 10 quoque) 20. 22 inter eos, quorum poetae usi sunt „ego" voce, ab ecclesia Israelitica ad templum ab origine esse cantatos (cf. 9—v. 6, 9. 12. 20—v. 6, 8. 22—vv. 4—6, 24, 28 sq.), ita tamen, ut vocem „ego" canentes singuli de se enuntiarent et ad ipsos referrent.

b) Alia sunt carmina, quae aperte primo ab hominibus compluribus aut coram templo aut procul a templo (id quod saepe dijudicari non potest) dicta sint. Tamen demonstrari non potest, illos fuisse populum totum ad sacra congregatum, sed eodem jure cognatos, amicos pios quosdam una precantes vel canentes eos fuisse putari licet, qui primo carmina dixerunt, certe tamen ita, ut quisque enunciata carminum de se praedicaret et ad se revocaret. cf. ps. 17 (v. 11), 30 (v. 5), 32 (v. 11), 34 (v. 4 et 12), 40 (v. 4—6). Fortasse quis huc referre vult psalmos 8 (propter v. 2) et 18 (pr. v. 31) propter vocem „noster", qua poetae eorum usi sunt, tamen negandum non est, si comparantur cum locis illis Dan. 9,15,18. 1 Macc. 4,3, ratione tali singulos quoque homines loqui potuisse, quippe qui essent ecclesiae corporis membra; omnia vero alia indicia desiderantur in psalmo utroque, e quibus ab initio ad hominum complurium usum destinatus existimari possit. Tamen hoc loco nobis ps. 7 afferendus esse videtur, de quo recte censuit Smend (p. 90): „Wie kann nun aber ein einzelner seine persönliche Sache in eine solche Beziehung zum Weltgericht stellen?" cf. v. 8. 9 (contra Hupf. Del. etc.). In hoc quidem iterum a sententia nostra ille recedit, quod censet, psalmum esse cantatum ab initio ad ecclesiae sacra, quod nulla re comprobari potest, immo nihil aliud elucet nisi, pios complures, Dei verentem populi partem, utrum fuerit magna an parva, utrum coram templo necne, non comperimus, convenisse, ut psalmum diceret. Hoc confirmatur ea re, quod eandem fere mentionem populorum externorum factam invenimus

in psalmis iis, quos certe ab initio ad usum sacrum destinatos esse intelleximus (ps. 9 et 22).*)

c) Tertium denique genus psalmorum, qui continentur in primo libro, ii sunt, qui nullum indicium prae se ferant, e quo concludi possit, eos ab initio esse destinatos, ut a precantium multitudine aliqua canerentur, sed primo ab hominibus singulis dicti esse videntur partim manifesto coram templo cf. ps. 5. 23. 26. 27. 28. 36, partim locus, ubi sint dicti, ex ipsis non est intellegendus cf. ps. 2. 3. 4. 6. 8. 11—13. 16. (?) 18. 19. 25. 31. 35. 37. 38. 39. 41. Num praeterea dicamus necesse est, terminos inter genera illa tria esse incertos facillimeque huius carmen aliquid generi alteri, fortasse primo quoque esse attribuendum? Nos nihil aliud possumus nisi indicia certa cognitionis e carminibus ipsis colligere. Inveniri in psalterio tria illa genera, negare nemo potest, etiamsi non semper est statuendum, cui carmen unum alterumve sit attribuendum.

Hoc tamen addamus, nullum carmen tertii quoque generis ita de singulorum hominum rebus agere, ut is, qui id precabatur, ab omnibus aliis Israelitis omnino se separarit neque nisi de suis rebus egerit, sed aut se esse membrum corporis populi Israelitici poeta affirmat cf. 3,9. (?) 14,7. 25,22. 28,9 et ad eius res respicit, saepius se piorum, qui sint intra populum, socium nominat et ad eos spectat, qui omnes eadem nitantur fide, eandem petant morum integritatem, iisdem vero calamitatibus quoque, calumniationibus, persecutionibus sint vexati, qua e re ejusdem spei quoque et gaudii participes sint. Ad hos fidei socios ubique respicitur, ad hunc verum populum Israeliticum cf. 3,9. (?) 5,12. 7,11. 12,8. 18,28.

*) Quomodo haec carmina sint declamata, e paucis illis, quae tradita sunt, non satis intellegere possumus. Existimamus vero, plurima eorum dicta esse ab hominibus omnibus, qui convenerant appellationibusque alius alium ad canendum adhortabantur (cf. 34,4 etc.); quare vox „ego“ semper fere est usurpata et nisi in perpaucis carminibus non mutatur cum voce „nos“ (cf. ps. 20). Aliorum autem carminum vir fortasse gravissimus, pater inter familiam, propheta inter discipulos, sapiens inter insipientes, poeta inter amicos, senex inter juvenes versus nonnullos solus cecinisse videtur ita, ut non alios omnes precantes tamquam unum hominem loquentes faceret, sed quisque horum, quae locutus est ille, ad ipsum referret; interdum tamen subito omnes, qui convenerant, voces suas voci illius adjungebant. Hinc censemus repetendam esse causam, cur subito ex unius oratione ad complurium sermonem poetae transierint in carmine Hiskiae, Threni 3, 1 Mac. 2,7—14 etc.; fortasse quidem ut in ps. 8,2. 18,3 etc. illis quoque locis sententiarum amplificatio ad alios eiusdem conditionis, fidei etc. socios in mente hominis precantis est facta.

25,3,9 sq. 28,8. 32,6,11. 31,20,24. 34,8,23. 36,11. 37,9 etc.; hinc 8,2. 18,3 quoque declarantur. Haec est res, e qua interpretatio illa hominum doctorum, qui censent, ecclesiam Israeliticam ipsam in psalmis loqui, est orta, quae veritatis speciem interpretationi illi attulit, quam vero nimis falsoque Olshausen, Smend etc. amplificarunt. Gratia tamen iis est habenda, quia rem illam contra sententias eorum, qui nimis ea praetermissa psalmos interpretati sunt (cf. Hupf., interdum Del. alii), dilucide et graviter enuntiaverunt. (Cum explicatione nostra consentiunt imprimis E. Meier l. c. p. 451 sq. Riehm: altt. Theol. § 63. Diestel: Jahrbb. f. deutsche Theol. 1860 p. 224 sq. Ehrt: Versuch einer Darstell. d. hebr. Poesie etc. p. 8, de psalmis nonnullis Hengstenb. quoque cf. de ps. 5, 23 etc.) Postquam autem hanc quaestionem tractavimus, cui vim quoque gravissimam in originem psalmorum statuendam attribuendam esse intelleximus, eo progredi possumus, ut, qua aetate sint compositi, e psalmorum ipsorum argumentis eruamus.

C. Disputatur de psalmorum, quos continet primus liber psalterii, origine, perspectis rebus populi Israelitici institutisque publicis, qualia illis temporibus quibus componebantur, videantur fuisse, examinatisque rebus atque conditionibus, in quibus psalmorum poetas versatos esse, ex carminibus ipsis appareat.

§ 6. Praenotanda.

Antequam disputationem ipsam suscipiamus, breviter nobis attingenda sunt, quae nostris diebus dicta sunt ab iis, qui, ut ea disceptatio suscipiatur, fieri non posse affirmaverunt. Enuntiavit enim Schuurmanns-Steckhoven, Smendii dissertationem praeter alias causas ea de re fuisse vanam, quia non antea examinasset, quae carminum partes traditae nobis essent ea forma, qua essent a poetis compositae, quae postea, ut psalmi ab ecclesia ad cultum Dei adhiberi possent, vel additae vel mutatae essent. Elucet, inde sequi, ut e psalmis, quales nunc nos habemus, nequaquam concludi possit, quibus temporibus orti sint. Quae tamen sententia levis est. In psalmo enim 6, quem Schuurmanns affert exemplum, ne minimum quidem indicium invenitur, quo comprobetur, in altera

parte loqui hominem alium, atque in altera; psalmum universum esse carmen unum, cohaerens atque congruens, omnes affirmaverunt, qui recte eum interpretati sunt (cf. Del. et. Hupf.). Atque idem iudicandum est de ceteris omnibus; si demimus ps. 19. 24. 34; qui fortasse duobus e carminibus sunt compositi (cf. Ew. Hupf., Hitzig), ps. 27, cui vv. 7—12 (cf. Ewald, Cheyne), ps. 18, cui vv. 20—30 (cf. Grätz) immixti esse dicuntur, ps. 9 et 10, quorum oratio et dispositio locis nonnullis corruptae esse videntur, psalmorum enuntiata et sententiae, si recte percipiuntur — imprimis strophis alternantibus et affectibus precantium ferventibus respectis — tantopere inter se cohaerent, ut vanum sit, scrutari, quae sint in iis a poetis ipsis conscripta, quae ab hominibus posterioribus retractata. Immo, quia plurimis in psalmis hominis singuli de se suisque rebus loquuntur, postea autem ab ecclesia iidem psalmi canebantur neque tamen mutabantur, quamquam multae voces, hominum singulorum precationibus aptae, usui illi repugnabant, nostro jure obtinemus, si praetermittimus corruptiones, quales omnibus in libris antiquis librariorum e neglegentia vel erroribus inveniuntur, psalmos, quales ab ipsis poetis sint compositi, ad nos pervenisse.

Sequitur, ut aliam rem disputationi nostrae praemittamus. Non difficile esset, statuere, quando psalmi facti essent, si plurimi eorum agerent de rebus externis populi, quales nobis traditae sunt in libris Samuelis, Regum etc. Exspectare illud videlicet non possumus nisi in carminibus iis, quae ad ecclesiae usum ab initio composita esse inveniebamus supra. Casus autem et fortunae societatum quarundam intra populum vel hominum singulorum magis sententiam nostram fugiunt; ad haec autem longe plurimos libri primi psalmos spectare, supra demonstraviums (cf. § 5 III). Aliud quidem esset, si Dewettii sententiae assentiri possemus, quae tamen nostris diebus sublata est. Qui fieri non potuisse existimabat, ut populi partes inimicitias ita sibi intulerint, ut e psalmis multis appareat. Quare carmina omnia, in quibus de inimicis poetae loquebantur, ad infestationes ab hostibus exteris (Babyloniis, Samaritanis etc.) populi Israelitico illatas rettulit. Sunt vero certissime psalmi, in quibus de rebus internis ratione illa agatur, cf. 56,15 etc. Magis autem, quam ex indiciis singulis ex universo querelarum modo concludendum est, in iis de internis rebus populi agi. Tantum enim abest, ut poetae de proeliis commissis, de militibus interfectis, de hominibus in captivitatem abductis loquantur, ut harum rerum nullam fere mentionem faciant, immo querantur

de impiis, peccatoribus, arma inimicorum commemorent linguas etc. (cf. imprim. Hupf. et Gesen. l. c.). De rebus externis in libri primi carminibus non agitur nisi iis, quae ab origine ad sacra ecclesiae esse adhibita supra inveniebamus, cf. ps. 9 (v. 7), ps. 22 (v. 21, 29), ps. 33 (v. 10). Ps. 7 huc non est referendus.*)

Praeterea huc referendus est ps. 2; in quo quidem non loquitur ecclesia, sed qui continet vaticinationem ab uno homine dictam, et ps. 18, manifesto precatio regis alicuius (cf. v. 44 sq. et infra). Tamen ex omnibus his ne minimum quidem, quando sint orti, concludere possumus, loquuntur poetae de omnibus orbis terrarum gentibus, populi Israelitici hostibus, non singularum gentium mentione facta, ita ut omnibus temporibus vixisse existimari possint, cf. 2 (v. 1—10), 9 (v. 7), 18 (v. 44) etc. Qua de causa judicare non possumus, utrum ante exsilium an post id psalmi sint compositi. Etenim non timemus, ne quis hinc argumentum repetere velit, illos conscriptos esse non posse, nisi post exsilium. Prophetas quoque, quamquam plurimis in orationibus de uno populo externo, Israelitis inimico aetate quadam agunt, interdum, ubi universum genus hominum vaticiniis amplectebantur, jam diu ante exsilium oculos coniecisse in omnia orbis regna, Dei regno adversaria neque solum

---

*) Ex huius ipsius carminis argumento elucet, in eo non agi de hostibus, qui populum armis sunt aggressi, immo de impiis Israelitis, qui populo suo vim intulerunt, cf. vs. 3. 10. 15. Arma inimicorum non sunt bellica, sed fraudes, mendacium, odium etc. Quid tandem loquitur poeta de populis exteris? Quid mentionem facit iudicii futuri? cf. v. 8. Elucet, eum, qui loquitur — quem fuisse societatem quandam piorum hominum supra demonstravimus, cf. § 5 III, — judicio illo in memoriam revocato se consolatum esse, sperantem, Deum, qui populos in crimen vocet, se quoque a periculis vindicaturum esse; illud piis pro certissimo constabat, cf. Gen. 18,25. — In ps. 9 et 22 quidem ad Israelitas quoque impios respicitur cf. 9 (vs. 10. 16. 20), 22 (17), tamen hîc agitur primo de gentibus externis, quibuscum in versibus insequentibus impii conjunguntur (in ps. 10; qui producit ps. 9, omnino de his solis agitur). Quae sententiarum conjunctio, nobis primo adspectu difficultatem interpredandi et offensionem aliquam afferens, hac re est orta. Quia Hebraei et gentes externas eadem ratione, qua impios Israelitas, רשׁעים et populum Israeliticum universum eadem ratione, qua pios Isrealitas, צדיקים appellabant, cum inter utramque utriusque vocis notionem terminus esset nullus, in eodem carmine ex altera in alteram poeta transire poterat. Quem linguae usum jam ante exsilium fuisse, intellegis ex Habac. 1 (vs. 4. 13), 2 (v. 4), Ezech. 7 (v. 21) etc. Nos vero e carminum ipsorum argumento periculorumque vel inimicitiarum enarratione concludere ubique, debemus, ad utrum genus vel improborum vel proborum poetae spectarint. Atque nostro iudicio nisi ps. 9. (10.) 22. 23 in primo libro de gentibus externis nulli loquuntur.

semper in unam aliamve nationem, contra Stadii sententiam, imprimis nixi locis his: Hos. 10 (v. 10), Jes. 11 (v. 10), 18 (v. 7), 19 (v. 9), 2 (vs. 1—4), Micha 4 (vs. 1—5) et Nowack et Ryssel demonstrasse nobis videntur (cf. Z. A. W. 1884 p. 278 etc., R.: ad Micha 4 (vs. 1 – 5)). Jam quis contendere audet, hoc in carminibus oratione elata conscriptis non multo magis fieri potuisse? Hae praeterea duae res sunt tenendae: a) ars poetica hebraica omnino solet, res quasdam, quas sermone cotidiano enuntiare nolit, aliis vocibus minus expressis significare imprimis in precationibus ad Deum emissis, quibus non necesse est exponantur ei vocibus dilucidis hominum precantium res. Perlustra Jeremiae precationes, etiam eas, quas pro ecclesia predicavit, frustra quaeres mentionem de Babyloniis factam, sed invenies, eum loqui generatim de gentibus, cf. 10 (v. 25), 16 (v. 19), praeterea Deuteron. 32,21, perscrutare quoque Threnos et psalmos post exsilium compositos, inter quos habemus perpaucos, ex quibus appareat, quinam fuerint hostes exteri; plerumque in iis nisi de hostium pietate, flagitiis etc. non dicitur. b) Verisimile tamen est, composita esse illis temporibus interdum carmina quoque dilucide ad populum hostilem quendam, bellum, proelium quoddam spectantia, in quibus omnia haec planis verbis nominabantur, cf. Jud. 5, Exod. 15 etc. Sed cum in psalterium carmina non reciperentur, nisi ea, quae non nimis ad res singulas spectantia, omnibus temporibus ad Dei cultum ab ecclesia adhiberi poterant, reliqua fere omnia, si non casu fortuito servabantur, cf. ps. 60,8 –14, evanuerunt. E mentione igitur tali, qualis fit in psalmis de populis externis, nihil concludi potest, qua aetate orti sint.

Illis quoque e psalmis argumentum nullum repeti potest de temporibus, quibus compositi sint, qui sunt aut hymmi, cf. ps. 29, aut continent contemplationes pias de natura etc., non respicientes ad res condicionesque poetarum, cf. ps. 8, 19,1—7, quorum de origine hanc statuimus normam: nisi sententiis, quas continent, aut oratione aut aliis dilucide indicatur aliam eorum originis aetatem esse atque psalmorum, quibuscum sunt ab iis, qui collegerunt psalterium, coniuncti, semper verisimile est, illos iisdem temporibus esse attribuendos, quibus hos. Etenim jam antequam psalterium eam in formam sit redactum, qua nobis est traditum, ab aliis hominibus carmina singula in libris quibusdam esse coniuncta inter se, neque hos libros a posterioribus omnino esse divulsos, sed — nisi totius psalterii dispositione, aliis causis gravibus illud flagitabatur — ab iis conservatos esse illa ratione coniunctos, qua ipsi libros acceperant collectos, iam supra intelleximus (cf. § 3).

Quare si alia desunt originis indicia, psalmos paucos, de quibus ita iudicandum est, eidem aetati attribuemus, cui adscribenda esse carmina ea invenerimus, quibiscum sunt in psalterio, quale nobis traditum est, conjuncta.

Tandem dicamus, psalmum primum, fortasse compositum vel certe primo psalterii loco positum ab iis, qui postremi psalmos collegerunt et in unum librum redigerunt, e disquisitione nostra esse excludendum.

§ 7. Exponitur, cur verisimile sit, psalmos plerosque, quos continet liber primus ante exsilium compositos esse.

I. a) Incipiamus a ps. 24. Hoc carmen non esse in duas partes dissecandum (quod statuerunt Ewald, Grätz, Cheyne), sed ab initio fuisse unum carmen, demonstratur congruentia, quae inter partes illas duas invenitur (cf. vs. 3 cum v. 8 et 10). Eodem jure omnia carmina, quae vocibus et strophis alternantibus canebantur, dividi possunt (cf. ps. 118. Recte iudicaverunt Hupf., Del., Smend: Ueb. d. Bedeut. d. jer. Tempels. Theol. Stud. u. Krit. 1884 p. 726). Quod vero Smend censet, psalmum universum spectare ad aetatem messianicam, quae dicitur, in priore parte id nulla re indicatur, altera vero pars tam aperte de pompa quadam sacra agit, ut hoc demonstrare supervacaneum sit. An etiam exponamus necesse est, exspectationem adventûs Dei aetate messianica futuri nullo alio loco veteris testamenti talibus vocibus explicari, quales inveniuntur in psalmo — si ad illum adventum hic esset referendus, ineptum esse, quod portae bis admonentur, ut se aperiant coram Deo? Aliis vocibus, qualis ille futurus sit, Judaei enarrare solebant (cf. etiam Mal. 3,1). Est haec psalmi pars sine dubio temporibus ante exsilium attribuenda, quam tum, cum aut arca foederis reportaretur aut pompa aliqua in collem sacrum duceretur, factam esse, existimamus. (Sic judicaverunt omnes praeter Smendium homines docti.) Idem comprobatur attributis, quae in psalmo poeta Deo attribuit (גִּבּוֹר מִלְחָמָה עִזּוּז) Sequitur ergo, eidem aetate partem priorem, quae cum altera arcte cohaeret, esse ascribendam, eidem vero psalmum 15 quoque, qui ps. 24 est simillimus.

b) Transeamus ad eos psalmos, quibus regis mentio fit. Magni refert, quod psalmos 20 et 21 a nullo eorum doctorum, qui psalterium interpretati sunt, post exsilium ortos esse dictum est. Et recte quidem. Nam omnia deverticula, quae aliis de psalmis

petierunt nonnulli, hîc sunt praeclusa. Rex, de quo agitur, neque est rex, quem aetate futura regnaturum esse feliciter, Israelitae exspectabant, Messias, neque rex, qui regnaverat temporibus praeteritis, quia coram Deo desideria de illius salute explicantur, cf. 20,1—4. 21,9 sq., neque vero est rex populi externi, cum nominetur unctus Dei, 20,7, Jahwe eum ex Sione adjuturum esse speretur 20,3; omnino beneficiis Dei tantopere affectus rex praedicatur, quantopere ne iis quidem temporibus princeps Gentilis praedicari potuit, quibus termini, quos constituerat religionum differentia inter Israelitas aliasque gentes, a multis sunt sublati. (Si ergo Geiger: nachgel. Schriften p. 184 contendit: es ist demnach thöricht, von einer alten Sammlung zu sprechen, die sogen. Königspsalmen sind weder alt, noch hasmonäisch, id leviter judicatum esse arbitrati causam unam e genere dicendi ab eo repetitam infra refutabimus.) Quam rem multum valere ad aliorum quoque psalmorum originem statuendam elucet. Etenim, etiamsi nisi ps. 20 et 21 nullos testes habemus, invenimus, tum jam fuisse controversiam eandem spiritualem inter pios et impios, quae temporibus, quibus alia plurima carmina l. I sunt composita, populum in partes dividisse videtur (cf. infra), quam vero nostris diebus docti permulti jam ante exsilium exstitisse denegant (cf. Wellhausen Proleg. p. 429—438 et infra). Non quidem locutus est coetus, qui primum cecinit carmina illa, planis verbis de partibus illis duabus, tamen eam separationem tum jam factam esse intra populum, dilucide demonstrant versus ii, qui inimicos et adversarios regis tales describunt, qui non arma contra eum tulerint, sed sententias hostiles et consilia, cf. 21,9,12. Atque si exitium illorum, quod exspectant homines precantes, iis vocibus enarratur, quibus fit 21,10,11, elucet, inimicos fuisse Israelitas; ergo in carmine non precatur populus universus, sed aliqua pia ex populo collecta ecclesia. Regis rem existimat Dei rem, 21,2—5, hunc adjuturum esse illum, sperat; sed qua de re? Non quia ille est rex, sed quia est pius, sacrificia Deo obtulit, cf. 20,4. Non supplicatur Deo, ut regi donet potentiam vel victoriam in proeliis — de his omnino non agitur in ps. 21 — sed favorem muneraque spiritualia, cf. 21,5—7. Hoc negari non potest, his in carminibus sententias precantium tam esse „geistlich“, qua voce significarunt docti quidam nostris diebus precationes, quales fuerint post exsilium, ita omnia ad Deum referri, nunquam fere poetas res civiles a divinis rebus alienas spectasse, ut intellegere non possimus, quonam jure Olshausen et Reuss dixerint, hos duos psalmos ante exsilium compositos esse, alios plurimos primi libri

non esse, quia „point de vue, disposition réligieuse", ut Reussii vocibus utamur, in iis non eae sint, quae ante exsilium viguerint. Si vero in carminibus illis, quae ad sacrificia pro rege oblata cantata esse constat, non haec est summa precationis, ut eo duce populus Israeliticus hostes externos vincat, sed ut rex Deo adjutore improbos superet, qui regem pium Deique legibus parentem infestent, quis tandem censebit, precationes, quas iisdem temporibus pii faciebant de ipsorum rebus, calamitatibus, salute agentes aliud continuisse, atque precationes, quas invenimus in libro primo psalmorum?

Quam sententiam nostram confirmat ps. 18. De origine ejus planius nobis hic non est disputandum. Hoc constat (propter v. 44, cf. quoque supra § 5 III), esse illud carmen ab uno homine, non ab ecclesia initio dictum, atque illum propter vs. 44—47, cf. 33—44, nullum nisi regem fuisse, nullo fere excepto omnes adhuc homines docti concesserunt; testis est praeterea v. 51. A Davide quidem ipso non conscriptum esse versum hunc constat (cf. v. b. et Kuenen l. c.), tamen aut carmen est a Davide compositum, si forte, v. 51 additus est postea, aut a rege posteriore, qui ipse carmini v. 51 subscripsit. Utcumque quaestio est diiudicanda, ante exsilium psalmum compositum esse constat.*)

Hoc autem in carmine non solum dè inimicitiis cum hostibus externis, sed etiam de controversiis improborum et piorum intra populum agi, elucet, etiamsi vs. 21—33 praetermittimus, quos postea psalmo immixtos esse nonnulli censent, e vs. 2, 3, 34, 44, 49. Si vero est ita, nihil obstat, quominus psalmum quoque 28, qui simili ratione regis mentionem facit (cf. v. 8) iisdem temporibus

*) Omnes aliae sententiae de originis temporibus argumento psalmi illius refutantur. Populum universum in eo non loquentem esse, jam supra intelleximus. Etiamsi quis dicat, versum 51 post exsilium esse additum, quod quidem refellitur voci מַלְכּוֹ, qua post exsilium poeta uti non poterat, reliquum carmen non compositum esse nisi a rege, hoc est ante exsilium, constat. Neque enim ex anima regis a poeta post exsilium vivente conscriptum esse potest, quod fortasse coniiciunt nonnulli, primum, quia, qui regem inducebat loquentem, non visionem talem, qualis enarratur in vs. 4—20, finxisset et planis verbis exposuisset, deinde quia poetae, qui ratione illa carmina componunt, initio ubique indicant vocibus dilucidis, quem loquentem inducere velint et fieri nullo modo potest, ut statim voce „ego" loqui incipientem eum faciant, cf. ps. 89, 132. Inscriptionem v. 1 ad illud indicandum factam esse, nemo censebit, etenim, si ubique carminibus, hîc quoque ea postea addita est. Si ergo Stade et Geiger hunc psalmum post exsilium ortum esse censent, intellegere non possumus, quibus causis nitantur.

attribuamus; qui iterum tam similis est psalmis multis aliis libri I., ut eos quoque tum compositos esse verisimile fiat.*)

Si ergo ps. 15. 18. 20. 21. 24. 28, in quibus vel regem ipsum vel ecclesiam vel homines singulos precationes de regis salute facientes aut ecclesiam ad pompam sacram canentem audimus, ex iis concludere possumus, alios, in quibus ecclesia piorum vel pii singuli ipsorum res coram Deo exponebant et auxilium, gratiam, peccatorum remissionem ab eo petebant, talibus fere vocibus conscriptas esse, quales inveniuntur in libri primi psalmis plurimis.

c) Duo denique carmina, quae, etsi certissime ante exsilium orta sunt (etiam Kuenen et Reuss hoc concesserunt), non inveniuntur in psalterio, sententiam nostram gravissime confirmant. Ac primum quidem afferamus 2 Sam. 23,1—7. Utrum David fuerit auctor necne, hoc loco nondum disseremus, tamen carmen hoc non posse compositum esse nisi ante exsilium, e versibus 1, 3, 5 elucet. Etenim dubium esse non potest, quin, si poeta post exsilium Davidem imitatus carmen composuisset, certissime ulla ratione commemoraturus fuerit, gentem Davidis ipsius aetate infelicem, afflictam, regno privatam temporibus futuris excelsitatem et potentiam, qua floruisset Davidis aetate, recuperaturam esse (cf. Ps. 89 Ps. 132 autem eadem de causa temporibus ante exsilium attribuendus est, quod alio loco exponemus). Aperte vero e carminis argumento elucet, Davidis gentem regnasse, cum componeretur. Quam ut argumentationem refutet, nemo locis Sir. 47,11 et 1 Macc. 2,57 niti potest; etenim aliud est, si rex ex Davidica gente ortus ipse tamquam feliciter regnans loquitur, aliud, si in expositione historica, promissis veteribus vaticiniisque repetitis, quae patribus erant data, velut spei causa allatis, post exsilium quoque genti illi regnum aeternum attribuitur. Qui loci omnino imitatione carminum illorum antiquorum vel applicatione ad ea facta orti sunt. Persuasum ergo nobis habemus, postremas Davidis voces, quae nominantur,

---

*) Voce מְשִׁיחַ ullo loco veteris testamenti populum Israeliticum esse significatum, demonstrari non potest, cf. Ps. 84,10. 89,39. 105,15. Hab. 3,13. Ubique aut ad homines singulos (Hab. 3,13), aut ad patriarchas (ps. 105,15) aut ad Davidem tamquam Messiae typum, qui dicitur, spectatum vocem referre licet. Cur tribus locis voci מְשִׁיחַ in versibus sequentibus respondeat vox עָם, causa simplicissime est repetenda inde, quod regis mentio cum populi mentione facile coniungi solet. Quamquam igitur nos quoque non auderemus, e solo psalmo 28 aliquid concludere, quibus temporibus ortus sit, tamen, quia ps. 18. 20. 21 certe de rege vero agunt, ille quoque in versu 8 de hoc agere videtur nobis. Psalmum 2 hoc loco praeterire possumus, quia de internis populi rebus nihil affert.

ante exsilium esse conscriptas. Atque iterum in iis, quasi sit res inter omnes de rege enarrandas gravissima enuntiatur, eum Deum vereri (v. 3), in versu 6 invenitur improborum, probis contrariorum mentio. Jam quid necesse est demonstremus congruentiam inter 1 Sam. 2,1—10 et psalmos multos, in quibus res eadem eademque ratione exponuntur? Argumentum a Geigerio allatum, illud carmen post exsilium compositum esse, vanum est. Nititur enim mentione in carmine facta hominum, qui נְדִיבִים appellantur; qua voce principes exteros significante demonstrari censet precationem post exsilium esse conscriptam. Spectat vero vox ad homines intra populum nobiles, qui jam Jes. 32,5,8 hoc modo nominantur; etenim in universo carmine de controversia quadam intra populum agi, imprimis vs. 3 et 9 indicant. Precationem vero ante exsilium esse factam, iterum demonstratur mentione regis, quae invenitur in versu 10. Si vero ita res se habet, plane assentiendum est Meiero: „Der Inhalt von 1 Sam. 2,1—10 und der letzten Worte Davids berechtigt uns, eine ganze Reihe verwandter Psalmen eben dieser Periode der grössten Propheten zuzuschreiben". (l. c.)

Haec habemus argumenta, quae e carminibus ipsis ante exsilium compositis afferamus, cur psalmos iisdem temporibus factos esse verisimile sit. Habemus vero testimonia alia eaque gravissima, quae dilucidius res et occasiones, e quibus psalmi orti esse videntur, nobis explanant. Antea autem, ut hoc eo magis eluceat, iuvat, brevi exponere, in quibus condicionibus psalmorum poetas versatos esse e carminum ipsorum argumento appareat, tum eas eruemus res, quas praebent prophetarum expositiones de ipsorum aetate, qualis fuerit; quibus explicatis intellegemus, tantam esse inter condiciones illas et res has congruentiam, ut de temporibus iisdem et poetas et prophetas agere verisimillimum sit.

II. a) Quae audimus de prophetarum rebus, quales fuerint, e psalmis ipsis, sunt haec: Fuerunt illi (excepto poeta psalmi 18, quem fuisse principem aliquem elucet, humiles, pauperes, dejecti, suam sortem ferentes mitibus et patientibus animis (עֲנָוִים) cf. 6,3. 9,19. 10,12,14,18. 13,3. 22,7,25,27. 25,9,16,18. 27,10. 30,12. 31,8,11sq.,14. 32,6. 34,3. 38,4,6,12. 39,11,13. 40,3,13,18. Tamen non agitur in psalmis de partibus, quae sunt intra populum e causis a rebus divinis alienis, e certaminibus de honoribus, opibus, divitiis ortae, sed poetae se eorum socios appellant, qui contra alios Israelitas eadem in Deum fide nitantur, eandem morum integritatem appetant, ergo sunt socii partis religiosae, intra populum Israeliticum se ipsam populum verum et germanum ex-

istimantis, cf. 3,9. 5,12. 7,11. 11,2. 12,2. 15,2. 16,3,10 (קְדוֹשִׁים) 17,5,7. 22,27. 24,4,6. 25,10. 26,2—6,11. 28,3. 31,25 (חֲסִידִים) 32,6,11. 34,10,11,19. 35,20,28. 37,18 (תְּמִימִים) 40,17 etc. Cui piorum parti obsistit pars altera divitium, judicum, qui numero plures sunt, etc. cf. 3,7. 19,13. 26,10. Opprimunt et persequuntur illam vehementissime, partim linguae mendaciis et calumniationibus, cf. 4,3. 5,7,10. 7,15. 10,7. 12,3,4. 17,11. 22,14. 28,3. 31,19. 35,17. 36,4. 38,13. 41,7,8, partim iudiciis injustis cf. 27,12. 35,11. 27,21,33, partim rapinis 22,19. 35,10, partim vitae insidiis factis, cf. 4,5. 7,3. 10,3. 11,12. 17,12. 27,2. 31,14. 35,4. 37,14,32. 40,14. 41,6, sunt ergo inimicitiae vehementissimae, cf. 7,16. 9,16. 10,9. 25,15. 31,5. 35,7. Certaminis vero causas non ad res humanas pertinere, sed ad res divinas, religionem, fidem, divinarum legum aestimationem hoc quoque loco elucet e nominibus, quae attribuunt poetae inimicis. Qui appellantur: 6,9. פֹּעֲלֵי אָוֶן 16,16 גּוֹיִם 11,5 אֹהֵב חָמָס 14,1 נָבָל 14,4. 19,13 זֵדִים 25,3. 26,10. 28,3. 31,7,24. 34,17. 35,25. 36,12. 37,1. 39,9. 40,5 etc. Aut aperte contra Deum se tollunt, derident eum 5,11. 10,3. 22,9 aut suis viribus nituntur, dominum Deum non agnoscunt, obliviscuntur ejus, quia eum oculis non spectant, cf. 3,8. 9,18,21. 10,3,11,13. 12,5. 28,5. 36,2, huc quoque referendi sunt 10,4. 14,1, etenim ibi vocibus אֵין אֱלֹהִים respondent voces: יִדְרשׁ (cf. Hupf). Causae insidiarum et persecutionum nullae sunt nisi impietas et libido improborum 25,18. 35,11,19. 38,20,21, pii iis nihil opponere possunt nisi precationes et lacrimas 3,5. 6,9. 7,11. 8,3. 10,17. 12,6 20,8 sq. 28,7. 31,15.

b) Sequitur, ut exponamus populi Israelitici res internas, quas temporibus ante exsilium fuisse traditum nobis est. Jam supra diximus, Olshauseniuin, adductum collectione fallaci locorum eorum, quibus et psalmorum poetae et prophetae vocibus רְשָׁעִים etc. usi sunt, in sententiam venisse, in psalmis agi de rebus aliis aliisque temporibus atque in prophetarum libris, inimicitias inter pios et impios aetate prophetarum ante exsilium non fuisse tam constantes et graves, quales apparent e psalmis, neque omnino jam tum populum in duas partes religiosas divisum fuisse (cf. Comment. p. 11). Quae sententia jam refutata est a Kuenenio, Graetzio, imprimis E. Meiero. Qui exempli causa interrogavit, cur nixus sit Olshausen uno loco Jer. 5,26 sq., ut demonstraret, pericula interna et corruptiones morum prophetae aetate non eas fuisse, quas psalmorum poetae enarrarent, neque respexerit ad initium capitis eiusdem, quo enarratum sit, nullum fere justum inveniri in populo

Israelitico. Tamen, quia adhuc homines quidam sententiam Olshausenii sequuntur, disquisitio illa, jam a Meiero ceterisque facta, denuo nobis est suscipienda, ut solidam et integram eam reddamus. Atque prophetarum orationes perlustrantes, tres aetates discernemus, ut explicatis ordinibus temporum brevi in conspectu omnia videamus; in unaquaque autem illarum primo statum populi internum, qualem prophetae enarrent, generatim, deinde piorum et impiorum, proborum et improborum controversias, quales prophetae explicent, separatim eruemus.

1. Aetas prima: α) Res internae hac ratione et his locis describuntur: Hos. 4,1 אֵין־אֱמֶת וְאֵין־חֶסֶד וְאֵין־דַּעַת אֱלֹהִים בָּאָרֶץ. 4.2,11. 7,3,7,16. 9,7,8. 10,3 לֹא יָרֵאנוּ אֶת־יהוה, 10,4 אָלוֹת שָׁוְא etc., 12,7. 13,6 שְׁכֵחוּנִי, Amos 3,11 הָאֹצְרִים חָמָס־וָשֹׁד 5.9—11. 6,3,12. 9.10. β) Hominum divisio e religionis ratione facta in צַדִּיקִים et רְשָׁעִים jam invenitur in Jahvistae libro cf. Gen. 18,20—33. 7,1. 15,6 etc. Planius prophetae exposuerunt, qualia fuerint populi partes duae, alteram alteri opponentes: Hos. 6,8 פֹּעֲלֵי אָוֶן. 7,5 לֹצְצִים. 10,13. 14,10 צַדִּיקִים, יְשָׁרִים, Am. 2,6,7 צַדִּיק וְאֶבְיוֹן—עֲנָוִים וְדֶרֶךְ דַּלִּים, 2,8. 4,1. 5,12 צֹרְרֵי צַדִּיק, 8,4 לַשְׁבִּית עֲנִיֵּי־אָרֶץ.

2. Aetas altera. α) Res internae his locis describuntur: Jes. 1,4,21,23,24. 2.12. 3,4,14. 5.7—23. 9,12—16 כָּל־פֶּה דֹּבֵר נְבָלָה, 10,2. 11,3—5. 22.3. 28,6,14 אַנְשֵׁי לָצוֹן מֹשְׁלֵי הָעָם, 28,17. 29,13. Micha 2,2,8 אֶדֶר תַּפְשִׁיטוּן מֵעֹבְרִים בֶּטַח, 3,1,5,9,10,16. 6,11,12. 7,1—6 אַל־תַּאֲמִינוּ בְרֵעַ. β) Partium populi hac ratione mentio fit: Jes. 1,28 עֹזְבֵי יהוה, 3,10 רָשָׁע־צַדִּיק, 3,14,15 פְּנֵי עֲנִיִּים, 5,23. 8,16. 10,2 עֲנִיֵּי עַמִּי, 11,4 עַנְוֵי־אָרֶץ. 29,19—21 עֲנָוִים, עָרִיץ, לֵץ, שֹׁקְדֵי אָוֶן, 30,18 חוֹכֵי לוֹ, 31,2. 32,5 נָבָל, 32,7 לְחַבֵּל עֲנִיִּים בְּאִמְרֵי שֶׁקֶר, Micha 2,1 פֹּעֲלֵי רָע, 2,7.11. 3,2. 7,2 חָסִיד, Neh. 2,7 חוֹסֵי בוֹ, 1,11 בְּלִיָּעַל.

3. Aetas tertia. α) Num opus est, ut huius aetatis exponamus res internas planius? Nihil perlustra nisi Deuteronomii librum, persuasum tibi habebis, res illa aetate, qua lex est promulgata, easdem fere fuisse atque eas, de quibus psalmorum poetae agunt. cf. 14,29. 15,11. 16,11,19. 19,10,11. 24,14,17,19,20. 27,19,25. 28,43,49 etc. Hab. 1,3. 3,14. Zeph. 1,9. 3,3,19. Jer. 2,29,34. 5,1,26,28. 6,7,13. 7,6,9. 9,2,5,7—9,22. 10,21. 11,21. 14,15. 15,17. 17,11. 18,11,18. 20,12,22. 21,12. 22,3,13. 23,1,22. 26,3,8,15,26. 36,7. 37,20. β) Populi partes hac ratione appellantur Deut. 25,1 רָשָׁע־צַדִּיק, 25,16. Zeph. 2,3 כָּל עַנְוֵי הָאָרֶץ, 3,12,13 עַם עָנִי וָדָל, Jer. 5,4,5 דַּלִּים, גְּדוֹלִים, 8,10 עֹשֵׂה שָׁקֶר, 12,1—3 בֹּגְדֵי בָגֶד־רְשָׁעִים, 15,21 רָעִים, עָרִיצִים, 22,16 עָנִי וְאֶבְיוֹן, 30,23. 43,2 הָאֲנָשִׁים הַזֵּדִים. Addamus denique, qua quidem re nimis niti nolumus, עֲנָוִים, nomen piorum, et

נָבָל, nomen impiorum, quibus psalmorum libri primi poetae saepissime sunt usi, nullo loco certe post exsilium conscripto inveniri, quamquam prophetis, qui post exsilium exsistebant, et Ecclesiastae variae occasiones vocum illarum usurpandarum erant oblatae.

c) Quicumque locos citatos perlustrabit, concedet, hunc universum populi statum internum esse tam similem statui ei, quem psalmi libri primi oculis nostris proponunt, ut verisimillimum fiat, hos temporibus illis factos esse. Ecce, ubique pii improbis oppositi, justitia omnis moresque universi perturbati apparent, pauperes, mites, pii oppressi; quid? quod caedes hominum innocentium facta est ab iis, qui Dei obliti erant. Tanta est congruentia, ut interdum prophetarum libros perlustrantes psalmorum poetas nos audire existimemus. Unum quidem recte dixit Olshausen. Etenim, si nulla mente ac ratione adhibita summam facimus locorum, quibus inveniuntur voces רְשָׁעִים et צַדִּיקִים, maior est numerus eorum, qui inveniuntur in psalmis, quam eorum, qui in prophetarum libris ante exsilium conscriptis inveniuntur. Sed quid hoc? Inimicitias inter impios et justos vehementes fuisse eadem ratione et prophetae et psalmi enarrant; causa cur minor vocum illarum illic quam hîc numerus inveniatur, inde est repetenda, quod prophetae exsistunt contra populum impium, pravis cupiditatibus, sceleribus deditum, non ergo de eo (רְשָׁעִים etc.), sed ad eum verba faciunt et facinora eius coram ipso exponunt; in psalmis vero loquitur populi pars ad Deum de aliis populi partibus, nominare ergo has debet, qua de re vox רְשָׁעִים multo saepius invenitur in psalmis (circa 50 ll.), quam צַדִּיקִים (19 ll.), quod nomen sibi ipsi imposuit pars illa. Qua de causa intelleges, quam fallax sit collatio talis numerorum, qualem Olshausen fecit temere. Qui enuntiavit: צַדִּיקִים nomen piis datum in psalmis novies decies invenitur, in libro Jesaiae semel, Jes. 60,21, in prophetarum minorum libris semel, ergo etc. etc. Si vero penitus scrutamur, invenimus, in libro primo psalmorum, excepto ps. 32,11, ne ullo quidem loco poetas hoc modo se vel socios nominasse. Quia autem vox illa, qua quidem jam ante exsilium pii significabantur, quae tamen post exsilium saepius adhibebatur (cf. ps. 1,5. 33,1, quem post exsilium esse conscriptum, infra demonstrabimus, 112,6. 118,20. 125,3. 140,14 etc. Psalt. Sal. ubique), si quid inde concludi potest, contrarium est, atque quod conclusit Olshausen, hoc dico: psalmos primi libri temporibus prophetarum illorum esse attribuendos, ergo ante exsilium esse compositos. Jam, cur status

hominum piorum, qui psalmos dixerunt, paullo pejor et miserior fuisse videatur, quam e prophetarum explicationibus apparet, causa rursus inde est repetenda, quod psalmorum poetae id agunt, ut de suis calamitatibus querantur coram Deo, quod fit inimicitiis periculisque plane expositis, prophetae autem id spectant, ut peccata populi nomine Dei condemnent, illum adhortentur etc., ubi vero hi quoque precationes faciunt (cf. imprimis Jeremiae librum), discrimen inter psalmorum et prophetarum voces invenitur nullum.

Ut magis sententiam nostram de psalmorum origine illustremus et explanemus, brevi Graetzii, non quidem nimis a nobis dissentientis, hac de re conjectura hoc loco est tangenda et corrigenda. Qui censuit, poetas plurimorum psalmorum, de quibus agimus, vixisse ante exsilium, fuisse autem omnes fere Levitas. Argumenta ab eo allata sunt haec: 1. si poetae promittunt, se servatos carmina gratiae plena canturos esse, si multis in psalmis enuntiant, se ad templum habitare vel certe cum templo arcte esse conjunctos (cf. ps. 23. 26. 27. 22. 42. 43. 84. 109 etc.) Levitas, templi cantores, eos fuisse concludendum est; 2. inimicitiae, rapinae, persecutiones animis mitibus latae nullis Israelitis tantopere et tam saepe illatae sunt, ut Levitis. Sed 1. multi psalmi non sunt carmina ab initio ad templum cantata (cf. supra). Deo autem carminibus gratias agere alii eodem modo poterant atque Levitae (cf. Jeremias). Desiderio denique templi visitandi et gaudio, ubi ad id appropinquabant, alii quoque Israelitae affici quid? quod canere quoque in templo in Dei honorem poterant, etiamsi jam tum carmina Levitarum musicae adjuncta dicebantur (cf. Hiskia). 2. Alterum Graetzii argumentum scriptorum prophetarumque argumento refutatur. Etenim hi ne uno quidem loco Levitarum mentionem faciunt, sed orbatos, viduas, pauperes, advenas, mites, pios omnes ab improbis esse oppressos enarrant. Ne Deuteronomii quidem liber Levitis solis inimicitias inferri, vim fieri vetat, sed semper fere una cum iis pauperes etc. commemorat. Jam vero, psalmi ipsi nullo verbo indicant, poetas fuisse Levitas. Facile quidem concedimus, eos quoque fuisse partis illius piae (עֲנָוִים) socios, sed nequaquam carmina ab iis solis composita esse concludere possumus. Etenim si et in psalmis et in prophetarum libris homines iidem tum pauperes, tum justi vel pii appellantur, alii tum divites potentesque, tum impii, elucet, voces illas non solum significatione propria et principali esse intellegendas. Immo, ut עֲנִיִּים (vel עֲנָוִים) et pauperes et mites una significant

(de origine vocis cf. Hupf. et Del. ad ps. 9,13), sic, quia censebant Israelitae, semper fere paupertati, viduitati etc. adjunctum esse animum modestum et mitem, cor integrum, in Deum non in res humanas fiduciam, attributis illis ampliorem vim subiciebant. Qua re non solum fortunis et opibus pauperes huc sunt referendi, etiamsi aperte plurimi inter pios erant pauperes, aegroti, miseri, sed omnes praeterea, quorum animi erant demissi, ut animi pauperum, qui non opibus, viribus, linguis suis nitebantur, sed Deo omnia sua commendabant. Videmus ergo, et Jesaiam et Habacucem et Jeremiam cum illis se coniungentes (cf. Jer. 20,13 et supra): putabant et appellabant eos intra gentem Israeliticam populum verum, qui usque ad exsilii finem oppressi quidem a civibus potentibus, persecutionibus, calumniis affecti erant, post vero exsilium, audacia inimicorum castigationibus variis fracta partem impian vincebant.*)

---

*) Perversa enim est sententia eorum, qui censent, a populo universo per omnen ante exsilium aetatem, exceptis fortasse restaurationibus rerum sacrarum ab Hiskia et Josia factis, quae tamen firmitatem et stabilitatem non habebant, Jahweh non nisi Israelitarum Deum esse existimatum, praeter eum idola esse culta, cives omnes rebus alienis a divinis, civilibus, proeliis, commercio deditos fuisse, nescisse, alia esse, quae Deus ab ipsis posceret, dico sanctificationem morum et pietatem animorum. Quicumque ita censet, videlicet putare non potest, orta tum esse carmina ecclesiarum quarundam piarum, quae prophetas sequebantur, uni Deo confidebant, vitam, cor, mores integra servare studebant (cf. Smend: die Genesis d. Judent. Z. A. W. 1882 p. 95. 119. 121 etc. Wellh. Proleg. 429—38, refutationem apud König: d. Hauptprobl. d. altisr. Rel.Gesch. p. 99—103: wie vor dem Exil, so nach demselben ist Israel sowohl ein Volk, als auch eine Religionsgemeinschaft gewesen). Hoc quidem constat, saepissime atque per annos multos recessisse populi multitudinem ab uno Deo ad idola, item, magnam populi partem nequaquam concessisse, mentem vel cor ipsius aliqua ratione esse vel mutandum vel corrigendum, ut populus ecclesia Dei fieret, immo, populum Israeliticum nativum censebat Dei populum esse. Tamen, qui hanc sententiam tulerunt, a prophetis veris falsi et fallaces appellabantur (cf. Jes. 5,21. Jer. 28,1 sq. etc.), illi vero cum fidei sociis conjuncti, quamquam ipsi quoque populum universum praeter omnes a Deo ex orbis terrarum gentibus esse creatum et dilectum, pronuntiabant, ab impiis populi sociis se separabant, ergo ecclesiam quandam intra populum se existimabant. Quos pios vel Anavim, qui dicebantur, varie rursus inter se differentes tum complures, tum perpaucos jam diu ante exsilium intra populum exstitisse, ea ipsa demonstrant, quae audimus de nonnullis prophetarum amicis et discipulis (cf. Jes. 8,1—4,16, Hiskia etc., Jeremiae temporibus ecclesia est minima), de sapientibus, quorum e scholis libros sapientiae accepimus (proverbia), de Naziraeis, Rekabitis, Levitis, viris religiosis, docet victoria, quam rettulit intra populum pars illa, e qua Deuteronomii lex orta est, docent carmina religiosa, quae praeter psalterium nobis

Si ergo hoc loco statuimus, quod factum esse posse, immo verisimile esse plurimi concedent, psalmos, qui continentur in libro primo, ante exsilium esse compositos, partim ii precationes piorum singulorum, sententias prophetarum sequentium, aut procul aut coram templo factae existimandi sunt, partim precationes, quas una complures pii eodem impiorum civium odio affecti, eadem ratione divino praesidio confidentes (tamen semper ea quoque re nitentes, quod sint populi Israelitici e gentibus electi filii), ad Deum miserunt. Alia pauca habemus carmina, quae populus universus, ad templum congregatus, in Dei honorem dixit aut diebus laetis (cf. ps. 20. 21. 24) aut lugubribus (ps. 22), ubi calamitatibus vehementibus populus ad poenitentiam erat adductus atque ecclesiae piorum numerus intra populum ad tempus valde creverat.*)

---

sunt tradita et a piis illis ante exsilium composita (cf. supra), indicat denique universus liber Deuterojesaiae, cuius sententias vocesque homines aequales nequaquam recte intellexissent, qui ipse sententiam illam, quam enuntiat de עֶבֶד יהוה, qui appellabatur, nequaquam concipere potuit, nisi opinio jam ante viguisset et divulgata fuisset inter Israelitas, distinguendum esse inter populum universum et ecclesiam ex illo collectam piorum, verum Israeliticum populum, cui Deus faveret et deferret beneficia, quae promiserat, cum iceret cum patribus foedus. Argumenta autem gravissima sunt testimonia, quae supra attulimus imprimis e prophetarum libris, quae demonstrant dilucide, per omnem illam aetatem jam fuisse ecclesiam religiosam, varias piorum congregationes intra populum. (Cf. ad hanc universam disceptationem imprimis Gesenius A. L. Z. E. Bl. 1816 p. 643 sq. Ewald Gesch. Isr. III 1. p. 348—58, 448—59 et Dicht. d. A. B. Graetz: Comment. et Gesch. Isr. 2,1 p. 222 sq., p. 447 sq.: nur eigensinnige, verrottete Exegese kann leugnen, dass die עֲנָוִים von Jesaia abwärts von einer konkreten Volksklasse gebraucht wird, dem Kern des Volkes. Diestel l. c. p. 226 sq. Riehm: alttest. Theol. § 63. E. Meier l. c. p. 451 sq. Köhler, Bibl. G. II 2 p. 149, 153 adnot., Kuenen, Volksrel. u. Weltrel. p. 142.)

*) Quaerat quispiam: Sed quid est judicandum de nuntio nobis tradito, Davidem regem fuisse poetam psalmorum multorum? Quam quaestionem nos hoc loco nondum tractare velle, jam supra diximus, quia antea examinare debemus disputationes diversas de Davidis rebus, moribus, fidei forma nostris diebus factas. Satis erit, nunc quaestionem, de qua agendum est, recte proposuisse. Etenim e psalmorum ipsorum argumento, ut Davidem plurimorum auctorem fuisse demonstretur, necesse erit, primo disquirere, an jam illius temporibus fuerit intra populum talis divisio in duas partes e rationibus religiosis orta, altera alteram vehementissime persequente, qualem prophetarum aetate exstitisse demonstravimus; deinde, an Davidis vita enarrata comprobari possit, illum vel socium vel principem fuisse partis Jahwe ejusque leges sequentis et ob eam rem ab altera vehementer infestatae. (Sic iudicarunt Hengstb. et Gesen. in praef. ad Gramb. l. c.) Si quaestiones duae affirmandae sunt, tamen numerum quendam psalmorum libri I prophetarum

§ 8. Argumentum, quod contra sententiam nostram de origine psalmorum libri I afferri potest, refellitur.

Olshausenii, Reussii, aliorum argumentis vanis refutatis, hoc unum tamen adversus nostram sententiam jure meritoque afferri posse confitemur, quod primo adspectu in nullo fere psalmorum libri primi idololatriae adversariorum a poetis mentio facta esse videtur. Tamen illam saepissime cum morum depravatione impiorum conjunctam fuisse, ex omnibus ceteris, quae nobis de aetate illa tradita sunt, qua carmina composita esse censemus, intellegimus. Imprimis prophetae iterum iterumque orationibus idololatrias vituperant et condemnant. Tamen omnibus diligenter deliberatis non censemus, quod in psalmis de ea re non agatur, causam esse, cur eos non ante exsilium compositos esse iudicemus.

1. Primo enim prophetae erant a Deo missi, ut illud populi peccatum vocibus dilucidis publice punirent et cives docerent, psalmi vero neque puniunt neque docent (exceptis perpaucis), sed aut Dei auxilium advocant contra oppressiones et insidias, quibus poetae ab impiis vexabantur, aut gratias ei agunt de auxilio allato. Quare imprimis scelera ipsis ab illis illata poetae commemorant, agunt igitur de rebus privatis. Idololatria vero res populi universi existimabatur; etenim etiamsi non omnes se huic vitio dederant, tamen iram Dei in populum universum ardere censebant, quia Jahweh universi populi Deus agnosci volebat; qua de re Jeremia, ubi confessionem de idololatria facit, non se ipsum excipit, sed generatim loquitur voce „nos“, cf. 3,22—25 etc. Eadem quaestio, de qua disputamus, jam tractata est ab hominibus doctis, qui proverbiorum originem eruere studebant. Etenim Bertheau (cf. kurzgef. exeget. Handb.) dubitabat, an ea de causa ante exsilium ea conscripta esse credere possemus, quod nunquam idololatriae mentio in iis esset facta. Recte autem Delitzsch hac de re dixit: Die Erklärung liegt darin, dass die chokma ihren Standpunkt in einer Höhe und Tiefe nahm, in welcher sie das Durcheinanderwogen der Volkstümer und ihrer Kulte unter sich und über sich hat, ohne davon innerlich erschüttert zu werden. Das Ankämpfen

---

aetati attribuendum esse constat, omnes dico eos, in quibus templi mentio fit (cf. Kuenen l. c. p. 265. Staehelin l. c.); si vero illae historiae argumento negari debent, si ergo psalmorum inter se cognatorum multitudo illa Davidi non adscribenda est, tamen carmina quaedam pauca indole universa notisque singularibus ab aliis dilucide differentia (cf. imprimis ps. 18) ab eo composita esse existimari potest. Sed hac de re alio fortasse loco.

wider das Heidentum überliess sie der Prophetie (cf. Comment.) Cui adnotationi assensus est Nowack, qui librum a Bertheau conscriptum denuo edidit. Precationes autem simili ratione praetermittunt res publicas neque exponunt nisi eas, quae ad ipsos poetas pertinent.

2. Id confirmatur precationibus, quae ab hominibus singulis dictae extra psalterium nobis sunt traditae. Ut praetermittamus alias, Jeremia, qui gravissime orationibus condemnat populi idololatriam, in precationibus, quas fecit, nullam ejus mentionem facit, solum de persecutionibus, quibus vel ipse vel pii vexabantur, loquitur. (cf. c. 9,11,18—20. 12,1—3. 15,10 sq. 17,14 sq., praeterea Hab. 3. 1 Sam. 2. Mich. 7. Jes. 38. Deut. 33, ubi alia ratione, atque fiebat a prophetis, dictum esse de necessitudine inter Deum hominesque optime exposuit Kuenen: De Godsdienst etc. I p. 380 sq., cf. denique psalmos regis mentionem facientes.) Ubi vero propheta populum universum precantem facit, confitetur et de peccatis aliis et de idololatria patrum ipsorumque, cf. 3,22—25 etc. Tandem, ubi in Threnis invenimus sceleris huius mentionem? Tamen constabat inter pios, a quibus illi sunt compositi, exilii poenam a Deo esse missam non solum, quia mores erant depravati, sed etiam quia cultui deorum alienorum, populus se dederat. (cf. Ezechiel.)

3. Accedit tertium argumentum. Negari non potest, pios Israelitas tantopere abhorruisse ab idololatria, ut etiam prophetae, qui ad illam condemnandam missi erant a Deo, vererentur saepe, idolorum nomina pronuntiare. Ex ea reverentia orti sunt varii circuitus eloquendi, quos invenimus in eorum orationibus hac de re, cf. הֲבָלִים, אֱלִילִים, תֹּהוּ, בֹּשֶׁת, שֶׁקֶר etc. Jer. 3,24. 14,22. 16,19 etc. Jam hos multo saepius usurpatos esse in carminibus (cf. Deut. 32,21) precationibusque piorum, et ex ipsa rei natura sequitur et plane enuntiatum invenimus in ps. 16,4. Itaque fieri potest, ut loci nonnulli in psalmis ad idololatriam spectent, quamquam id perspicuum non est, cf. ps. 16,4. 31,7 (similia ad Jeremiam) 40,5 (idem fere Amos 2,4), 4,3. 5,8. 24,4 (cf. E. Meier l. c. Grätz: comment. p. 41 adn. 1).

4. Memoria denique tenendum est, nonnullos quoque psalmos fortasse ortos esse talibus regibus, qui unius Dei cultum defendebant, ubi querendi de idololatria nulla occasio erat oblata; tamen carmina, quae tum sunt composita, de vi et oppressionibus conqueri poterant, quia has ne illis quidem regibus omnes sublatas esse prophetarum orationes, Hiskia et Josia regibus factae, de-

monstrant. Praeterea nobis obliviscendum non est, aliis quoque regibus componi potuisse carmina nonnulla, quae dilucidius, quam fit in psalmis, de quibus agimus, querebantur de defectione summae partis populi a Deo uno ad alios, tamen in psalterio maxima e parte non esse traditos nisi tales, qui argumentis ad res singulas non nimis pertinentibus in omnia tempora adhiberi poterant ab ecclesia vel piis singulis ad Dei cultum. Alia carmina omnia fere cum ea, quae a parte impia idololatrarum ad cultus diversos idolis sunt canta, tum ea, quae e parte pia ad res singulas spectantia orta sunt, (exceptis perpaucis, quae imprimis in libris historicis sunt tradita) in omnia tempora evanuerunt.

Quibus omnibus argumentis perspectis persuasum nobis habemus, ea de causa nequaquam dubitari posse, quin psalmi ante exsilium sint compositi.

§ 9. Exponitur, cur verisimile non sit, psalmos plerosque, quos continet liber primus, aut in exsilio aut post exsilium esse compositos.

A. Eundem fere fuisse statum intra populum Israeliticum, eodem modo piorum parti obstitisse impiorum partem exsilii temporibus atque ante exsilium, e libris Ezechielis et Deuterojesaiae elucet cf. Ezech. 3,7,18,20. 13,22. 20,38. 22,3,7 sq. 33,12. Jes. 41,17. 48,22. 49,13,23,24. 51,1,7. 53. 54,4. 55,7. 57,1,4,15. 59,7. 60,2,17, 61,1. 64,4. 65,11. 66,2. Quare homines docti complures originem carminum nonnullorum, quae in libro I continentur, exsilii temporibus attribuerunt. Quae tamen omnia, si examinantur poetarum condiciones, quales fuerint, quasi arta cognatione inter se conjuncta videri adeo, ut argumenta dilucida sint afferenda, cur primi libri carmina alia aliis aetatibus sint attribuenda, supra intellexinus eandemque inter ea sententiarum sermonisque cognationem inveniri infra demonstrabimus.

1. Ac primum quidem Ewaldius ille huc refert psalmos 14. 16. 17. 22. 25—34. 35. 38. 40. Cuius sententiam de psalmorum 16. 17. 25. 34 origine esse vanam omnes nostris diebus concedent. Etenim non solum ne mininum quidem invenitur indicium, poetas fuisse in captivitate, ut omittamus, e ps. 16,11. 17,15 testimonio poetarum temporibus templum non dirutum fuisse videri, psalmorum 16. 25. 34 argumenta aperte Ewaldii sententiae repugnant. Poetae sunt contenti sortibus suis gratiasque de iis Deo agunt, nullum indicium hostium victorum, nullum desiderii patriae. Id, quod Ewald dixit, eos pervenisse animae luctatione ad animae quietem,

e carminibus ipsis demonstrari non potest. Item est de psalmis 35 et 38 judicandum. In psalmo enim 38 exsilii mentio nullo loco invenitur (ps. 6. 13. 30 alii, quos Ew. ipse temporibus prioribus attribuit, plane easdem querelas continent), ex ps. 35,9, 11 sq. 18,20 autem verisimile est, poetam habitasse in terra Israelitica. Adductus est Ewald ad falsam illam opinionem, quia non satis respiciens, alium poetam Israeliticum alium saepissime esse imitatum, auctorem carminum illorum eundem fuisse censebat atque psalmorum 69. 71. 102 etc., certe in exsilio ortorum. Transimus ad ps. 40. Jam recte dixit Smend (Z. A. W. 1888 p. 109), carmen, si cum exsilio cohaereret, adeo non in illo esse compositum, ut de liberatione ex illo facta ageret. (Cujus quidem liberationis non magis in psalmo mentio fit, quam exsilii.) Hoc constat, carmen non inter exsules esse ortum, quod concedes, si et versum 10 sq. et carminis universi omni maerore carentis argumentum respexeris. Quae vero dixit Ewald (l. c. p. 238), in exsilio ortam esse et divulgatam, templo deleto, sententiam, Deo non placere sacrificia, atque ad eam referendum esse versum 7, non solum certo argumento nullo demonstrari possunt, immo Ezechielis testimonio refelluntur, sed etiam, sententiam illam saepe jam a prophetis ante exsilium esse pronuntiatam, Ewald ipse concedit; De psalmo 22 denique ipse enuntiavit, e versu 4 templum poetae temporibus nondum dirutum fuisse, hunc vero ipsum jam in captivitatem esse abductum, versibus 23 et 26 refellitur.

2. Sequitur, ut Graetzii, alterius defensoris sententiae, de qua disputamus, argumentationem examinemus. Qui in libro, quem conscripsit de psalmis, p. 40 sq. indicia collegit, e quibus psalmos post exsilium compositos esse, cognosci possit. Atque thesibus a—c, quas proponit, nos quoque assentimur, thesis vero quarta (d): die Reuepsalmen sind ein Produkt der exsilischen Zeit, tam levis est, ut non sit necesse, refutemus eam. Nonne jam ante exsilium Israelitas peccatorum, idololatriae etc. poenitere potuit? (cf. quae nobis tradita sunt de Davidis, Josiae etc. poenitentia. Vanum quoque hoc est: Lehr- und Rügepsalmen gehören meistens ebenfalls der Exsilszeit an. Facile enim est demonstratu, in exsilo nequaquam aptas fuisse res et occassiones, ut vel oreretur vel excoleretur illa ars poetica, quae ratione vel scholarum doctarum vel hominum sapientium opera docentia componebat. Praetermittere ergo possumus ea, quae attulit Graetz de ps. 6. 31. 32. 35. 37—41, sunt iis ipsis refutata, quae diximus de Ewaldii conjecturis. Hoc unum commemorare volumus, esse mirabile, quod psalmos 31 – 41 omnes attribuit

temporibus exsilii, excepto uno 36., in quo invenitur templi mentio. Neque ulla alia re nisi hac mentione facta distat a ceteris, immo aliis in rebus et hi et ille sunt quasi arta cognatione inter se conjuncti; nonne ergo Grätz concedet, hos omnes iisdem temporibus esse ortos neque nisi fortuito in multis de templo taceri, in uno aliove mentionem ejus fieri? Afferamus denique, psalmum 41 ea de causa Graetzium concludere esse exsilii temporibus ortum, quia inveniatur in versu 3 vox אֶרֶץ quam interpretatur „Heimatland". Explicatio videlicet talis ipsa se condemnat nulla refutatione suscepta. Quae ad psalmos 7. 12. 15. 25. 34 adnotavit, alio loco examinabimus.

3. Restat, ut de ps. 14 agamus, quem esse exsilii aetate compositum, non solum et Ewald et Graetz censuerunt, sed alii quoque, inter quos est Kuenen (l. c. p. 255). Cui sententiae, quamquam primo adspectu versu 7 comprobata videtur, assentiri non possumus. Etenim ex Amos 9,14. Jos. 6,11. Deut. 30,3. Job. 42,10. Jer. 29,14. 30,3,18 elucet, vocibus שׁוּב שְׁבוּת generatim rerum adversarum mutationem significari a scriptoribus Hebraicis, non eas ad exilium esse revocandas. E psalmo 126 vero, quo niti se posse nonnulli existimaverunt, idem illud vocibus שׁוּב שְׁבוּת significari, est concludendum (cf. v. 4 et Hupf. ad hoc). Quid? quia poetae psalmi 14. conditio fuit eadem atque aliorum carminum libri primi (cf. ps. 12), praeterea vox נָבָל aperte non ad gentes externas, sed ad homines intra populum impios spectat, illum exsilii aetate esse compositum, verisimile nobis non videtur. (cf. Hupf., Schultz, v. Leng., Del., Hitz., Olsh.) Si ergo colligimus quae exposuimus, haec sunt: quamquam nos quoque in libris aliis psalmos nonnullos in exsilio ortos inveniri censemus, in primo libro ne unus quidem esse nobis videtur, qui causis dilucidis et gravibus illius temporibus attribui possit.

B. Quibus expositis disquirendum nobis est, an forte in primi libri psalmis nonnullis inveniantur indicia ulla, quae eos post exsilium factos esse demonstrent. Quae quaestio est neganda; etenim nullum adhuc quisquam indicium tale attulit neque umquam afferre poterit. Decretis nimis audacibus levibusque homines docti adhuc contenti erant. Quid? quod argumenta varia afferri possunt, quae sententiam illorum refutant. Quae et generatim refellunt opinionem eorum, qui censent, psalmos libri I compositos esse post exsilium et separatim, eos esse conscriptos illo aetatis spatio, cui nostris diebus plurimi homines docti originem tribuere volunt, spatio ab Esra usque ad Maccabaeorum tempora.

I. Ac primum quidem demonstrabimus generatim, cur verisimile non sit, psalmos, de quibus disputamus illa aetate factos esse, quae fuit post exsilium. Quod statuit Smend hac ratione: Richtig sah Olshausen, dass die Verfolger im Psalter fast mehr noch die Gottlosen, als die Heiden sind, aber er sah nicht, dass die Partei der Gottlosen seit dem Exil zu allen Zeiten in der jüdischen Gemeinde bestanden hat und haben muss, weil sie mit dem Rest von politischer Selbständigkeit, den die Gemeinde des zweiten Tempels hatte, ohne weiteres gesetzt war (cf. Z. A. W. 1888 p. 59). Quibus propositionibus nos quoque assentimur, sed contrarium ex iis concludendum esse censemus, atque quod concludit Smend. Constat enim, si examinantur res partium inter Judaeos post exsilium factarum diligenter, causam, e qua hae sint ortae, gravissimam semper illam a Smendio allatam inveniri (cf. inimicitias Esrae illatas, partes temporibus posterioribus inter sacerdotes nobilesque et scripturae doctos factas, factiones intra populum Syris dominantibus etc.). Cujus vero certaminis ne minimum quidem indicium invenitur in psalmis, qui continentur in libro I, nullo omnino verbo id tangitur. Loquuntur quidem poetae de superbis, sed qui divitiis erant superbi, de hominibus violentis, sed qui pauperum opes rapiebant, de impiis, sed qui Deum scelera impiorum vindicaturum non putabant, numquam adversariis crimini datur, quod potestatem, auctoritatem populo Israelitico inter populos alios acquirere petierint, quod gentium commercio se dederint neque se separarint a nationibus alienis, quod tales res a divinis alienas praetulerint rei Dei ecclesiaeque ejus (cf. § 7 II A). Immo si res, quales sint expositae in primo libro, eruimus, invenimus, ne unum quidem locum esse, qui indicet, poetae temporibus ecclesiam Israeliticam non sui iuris, sed populo alieno subjectam fuisse. Etenim locum 10,16 huc non esse referendum, sed in eo agi de impiis, e contextu universo elucet. Quid? quod non solum in psalmo nullo, quamvis minime, indicatur, precantes fuisse servos gentium alienarum vel in earum ditionem redactos, sed etiam in carminibus nonnullis audimus, cum componerentur, regem Israeliticum summam imperii tenuisse. (cf. § 7 I). Petimus a Reussio et Stadio, ut afferant unum aliumve locum e primo libro, quo nitantur sententiae eorum: Zahlreiche Lieder klagen nicht nur über die Herrschaft der Heiden und die aus derselben resultierende Trübung des Ideals der Gemeinde etc. (cf. Stade, Gesch. Isr. l. c. Reuss: la Bible V ad ps. 35 p. 153 etc.) Psalmos 9 et 22 quidem ex parte agere de gentibus, nationibus externis verisimile est (cf. § 6), Israelitas vero

in earum ditione ac potestate fuisse, cum carmina conscriberentur, nulla re indicatur, immo contrarium, cf. 9,6 sq. Singulos vero Judaeos et ecclesiam universam summo dolore per omnia post exsilium tempora tulisse servitutem, imperium gentilium, ex omnibus fere precationibus certe post exsilium dictis (hymni videlicet sunt excludendi, quia ad res tales omnino non spectant) intellegimus, cf. Threni 5,2,8. Esra 9,9. Neh. 9,36. Dan. 9,16. Sir. 33,10. 2 Macc. 1,27 (cf. Ps. 129. 118,10). Populi vires sunt fractae, jam non est populus vigens, sed פְּלֵיטָה aliqua vel שְׁאֵרִית cf. Esra 9,8,13,15. Neh. 1,2,10. 9,31 sq. Dan. 9,14. Sach. 7,7. 8,11,14. Fratres in omnes terras sunt dissipati, qua re ad eos precationes post exsilium factae ubique respiciunt, cf. Dan. 9,7. 12,7. Sir. 33,11,12. 48,10. 2 Macc. 1,27. Neh. 1,9. Ps. 106,47. 107,3. 147,2 (cf. quoque Ps. 68,22. Tob. 13,3. Ps. Sal. 11,3. 17,28,20. 19,2). Quorum omnium in primo libro nulla mentio fit, nulla aut exsilii aut reditus e terra Babylonica facti. Quas tamen res longa per spatia a Judaeis memoria esse retentas atque in mentibus eorum haesisse, quia captivitatis poenam a Deo esse missam cognoverant, liberationem autem e Dei gratia factam, intellegimus e psalmis, qui sine dubio post exsilium sunt compositi, in quibus saepissime rerum harum mentio fit. Fuerunt res, quibus niti poterant poetae, quas Deo in memoriam revocabant, ubi ab eo auxilium petebant. Num vero hoc in omnibus libri I carminibus casu fortuito nullo loco factum est? (cf. ps. 102,14. 106,40—47. 107,10—16. 111. 124. 126. 137; praeterea ps. 113. 114. 118,22. 147,2). Immo verisimile non est, psalmos hos post exsilium esse compositos.

II. Sequitur, ut separatim eam examinemus aetatem, quam praeter ceteras origini psalmorum aptam existimarunt nostris diebus homines docti complures. Etenim recto quodam judicio ducti, quamquam disquisitionem non accurate neque diligenter fecerunt, statim statuerunt, spatium temporis ab exsilio usque ad Esram non id fuisse, in quo psalmos, de quibus disputamus, similesque factos esse verisimile sit. Etenim per primam aetatis hujus partem laetissimo erat animo populus e captivitate liberatus (cf. ps. 95—100), tum nequaquam psalmi de quibus disputamus, orti sunt. Insequebatur tempus miserrimum, de quo quidem nobis non multa sunt tradita, sed partes tum factas et inimicitias ab altera alteri illatas esse constat; quid? quod e loco Mal. 3,13—22 tunc temporis eandem fere populi divisionem in pios impiosque atque ante exsilium esse factam et vocibus finitumis iis, quibus psalmorum poetae sunt usi, expositam videmus, quibus e rebus hac

aetate illos esse compositos concludere quis potest (cf. quoque statum ecclesiae internum, quem inveniebat Nehemia c. 5 etc.). Sed a) ne minimum quidem indicium ejus rei, quae ea aetate animos maxime movebat, quod promissa divina per prophetas pronuntiata ad irritum ceciderint, spes et expositiones fefellerint (cf. Mal. 3,14), in psalmis, qui continentur in libro I, invenitur. b) Argumenta deinde, quae generatim refutant, factos esse psalmos illos post exsilium, hac de aetate gravissime valent, quia Judaei tum captivitatem, liberationem etc. recenti memoria tenebant (cf. Ewald Gesch. III p. 138). c) Ad extremum jam his temporibus rationes sacrae sensim ita mutari coeperunt, ut orerentur inter pios sententiae illae de hominis cum Deo usu, de piorum officiis, de voluntate Dei, quas ex Esrae temporibus in populo vigentes conspicimus; neque enim, nisi hae jam antea viguissent, ille adversarios illo temporis spatio vincere potuit. (Qua de re infra accuratius disputabimus, cf. hîc: Mal. 1,6—2,3. 3,3,32. Kuenen: De Godsdienst etc. II p. 107. 115. Stade Geschichte II p. 131. Smend Z. A. W. 1881 p. 147.) Quae ergo afferemus argumenta, ut comprobemus, non Esrae aetate vel post eum psalmos, qui continentur in libro I, compositos esse, aeque fere plurima ad hoc quoque spatium spectant.

Quibus brevi expositis, transeamus ad sententiam illorum refutandam, qui attribuunt psalmos omnes fere temporibus ab Esra usque ad Maccabaeos, concedentes, plerumque dijudicari non posse, quo temporum horum spatio sint conscripti, utrum extremo Persico an Graeco an Egyptiaco. Contra has vero conjecturas haec afferimus argumenta.

1. Non est verisimile, res internas temporibus illis ita fuisse turbatas, in populo factiones tali modo (ut ne caedes quidem perhorruerint) alteram alteri inimicitias intulisse, quali psalmorum originis temporibus factum esse ex ipsis elucet. Certum est, post Esram quoque varia eaque gravia vitia in populo viguisse, et Ecclesiastes et Siracides queruntur de fraudibus, mendaciis, inimicitiis (cf. Eccl. 3,16. 4,1. 7,16. 10,1. Sir. 4,1 sq.,9. 5,7. 12,4,33. 15,7—9. 23,3,11 etc.; hujus quidem enuntiata non omnia tamquam testimonia de statu interno, qualis illius temporibus fuerit, accipi possunt, quia et vetera repetiit et docentis ratione non semper ad suae aetatis res spectans loquitur). Jam qualia audimus a Josepho de exeuntis hujus aetatis sceleribus, quot et quanta fuerint (cf. Antiqu. 12,4, 5etc.). Tamen nobis notae singulares sunt eruendae, quas scriptores singulis temporibus attribuerint. Atque cum psalmi

conscriberentur, ex ipsorum argumento ea pars populi, quae Jahwe Deum sequebatur, eum pie venerabatur, hanc ob rem ab altera populi parte vexabatur persecutionibus vehementissimis. Post Esrae vero aetatem Jahwae religio et veneratio in populo aliorum Deorum cultum oppresserat, lex ejus a populo universo erat agnita, pontifex maximus erat populi princeps. Qua tandem ratione pii Deique verentes tali modo undique opprimi poterant, quali, si psalmi tum essent compositi, futurum fuerit? Praeterea judiciorum res ab Esra Nehemiaque optime erant dispositae, vix ergo, quamquam judices injusti omnibus temporibus exstiterunt, tales tum juris perversiones exstitisse, vix tam aperte jus universum a judicibus tum conculcari potuit, ut sua aetate factum esse psalmorum poetae narrant. Nonne erat post Esram aetas, qua magna synagoga, quae dicitur, floruisse tradita est? (cf. Graetz, Gesch. Jsr. 2,2 p. 176 sq. de illa judicantem: Die so oft von den Propheten und Psalmisten wiederholten Klagen über Hartherzigkeit gegen die Notleidenden brauchten fortan nicht wiederholt zu werden. Ewald, Gesch. III, 2 p. 186—208, Kuenen: Godsdienst II 215 sq, 230 sq.)

2. At postquam Graeci Persarum imperium in ditionem potestatemque suam redegerunt, ex usu atque contagione cum gentibus alienis facta alieni mores et religiones in ecclesia Judaica valere coeperunt, quibus altera pars populi se dederat, altera non. Hinc oriebantur factiones, quae inimicitias vehementissimas intulerunt altera alteri, de quibus psalmi libri primi agunt. Sic concluserunt Reuss, Stade, alii. Propositionibus illis sine dubio est assentiendum, non vero iis, quae inde concluderunt, his de causis: a) Constat quidem, mores partis Judaeorum ex usu frequenti cum Graecis et Egyptiis tum fuisse depravatos (cf. Sir. 9,4. 19,2,27. 23,6. 33,7. 2 Macc. 4,18—20, imprimis Joseph. l. c.). Tamen si diligenter scrutamur, invenimus, nobis minime licere, morum corruptiones, de quibus queruntur psalmi et eas, quae factae sunt temporibus illis, vitae moribus nationum alienarum a Judaeis cognitis, easdem censere. Mores depravati, de quibus poetae queruntur, sunt rapinae, calumniationes, judicia injusta, pauperum piorumque oppressiones atque caedes, hos vero vix quisquam Graecos mores appellare aut existimare potest. Immo, omissa sabbati, circumcisionis, omnium ad Dei cultum pertinentium legum, morum a majoribus traditorum observatione aedificia magna sibi Graecis temporibus exstruxerunt, convivia luxuriosa fecerunt, saltaverunt, in arte gymnastica se exercuerunt, adulteraverunt gentium modo,

diem festum in Melkartis honorem instituerunt etc. (cf. Kuenen l. c. p. 312 sq. Graetz l. c. p. 252, 54 etc.) Sed talibus de rebus num psalmorum poetae queruntur? b) Eadem ratione nobis judicandum est, si respicimus doctrinam, opinionem de Deo, sententias ad religionem pertinentes, quae ortae sunt e Judaeorum contagione cum Graecorum litteris. Ex hac imprimis sententias, similes iis, quas docuerat Epicurus, inter partem quandam ecclessiae viguisse, eam rebus terrestribus deditam Dei unius veri fidem reliquisse, quis est, qui neget? Tamen indicium omne desideratur, e quo concludi possit, impietatem, de qua queruntur psalmorum poetae (si forte demimus ps. 10 et 14; tamen hos quoque eadem ratione atque alios de infidelitate, quam vitae moribus prae se ferebant Israelitae, Dei legibus omissis, agere supra intelleximus) cogitationibus vel considerationibus doctis esse adductam (cf. contra Sir. 33,7. (Vulg. 36,7.) Eccl. Sap. Sal. 2 etc.); immo queruntur de impietate talium, qui ipsorum viribus solum confidant, Dei auxilium sibi non opus esse censeant eiusque poenas non metuant; haec vero imprimis ante exsilium iterum iterumque populo crimini data audimus in prophetarum orationibus. Constat ergo, in nullo psalmo libri I inveniri indicium certum, quod demonstret, impietatem sententiarum et morum, de quibus queruntur poetae, Graecorum vel aliarum nationum vi et auctoritate inter Israelitas esse ortam.

3. Talia vero indicia nos inventuros esse, si tum psalmi, de quibus agimus, essent conscripti, concludere possumus ex aliis multis, quae accepimus de piorum illius aetatis sententiis, quales fuerint. a) Primum enim hi, si composuissent psalmos, certissime inimicis crimini dedissent, quod se dederant gentium familiaritati. Ab exsilii, imprimis Esrae temporibus tantopere inter populi pios crevit studium se separandi et segregandi a gentibus aliis, ut id facinorum multorum causa fuerit, quibus sibi ipsis nocuerunt (cf. interdictum illud connubiorum mulierum externarum, inimicitias Samaritanis illatas etc.). Tamen fecerunt, quia persuasum sibi habebant, se esse populum Dei electum et sanctum. Erant ex Esrae temporibus נִבְדָּלִים cf. Esr. 6,21 „se separantes“ scilicet ab omnibus gentibus alienis (Rosenzweig: d. Jahrh. nach dem babyl. Exil ps. 184 adn.) Inde repetenda est causa, cur vel contemptionem vel odium profiteantur in הַגּוֹיִם, עַמֵּי הָאָרֶץ, quos appellant, per universam hanc aetatem cf. Esra 2,11,59 sq. 3,3. 4,4. 6,17,21. 9,1,2,11,14. 10,24,29—31. Neh. 4,30. 10,29. 11,32. Mal. 2,10—16. Ps. 106,35. 1 Macc. 1,12. 2 Macc. 14,3. Psal. Sal. 2,14 etc. Quem spiritum constanter distortum conspicimus in libro Esther,

(cf. Luther: Walch XXII 2080). Etiamsi Chronistes paullo mitius judicat, tamen is quoque hunc animum prae se fert. cf. 1 Chron. 5,25. 17,21 etc. Ruth vero et Jona libri hoc loco afferri non possunt, quia hi refutare student sententiam inter Judaeos nonnullos divulgatam, religionem Israeliticam intra populum Israeliticum coërcendam neque ab aliis quoque gentibus sacra ejus accipienda esse; itaque gentiles, quos inducunt, non solum fidei Judaicae non hostes, sed amici aut ipsi jam cultores Dei Israelitici sunt. De morum vero fideique corruptoribus alienis Graecis quoque temporibus pios omnes idem cogitasse constat. Etenim ne ex Ecclesiastae quidem et Siracidae testimonio concludere aliquis potest, fuisse spatia quaedam hujus aetatis, quibus alia ratione, non tantopere separationem a gentibus petentes, pii spectarint populos alienos. Primum enim memoria est tenendum, libros illos esse scriptos ab hominibus doctis et sapientibus magistris, qui ultro et consilio ea neglegebant, quibus et nationes et religiones inter se differebant neque populi Israelitici historiam sacram, beneficia, quae praeter alios a Deo acceperat, respiciebant, psalmos vero esse precationes media ex ecclessia piorum ad Deum missas, quae nequaquam illa praetermittere poterant. Deinde ipse tamen Siracides demonstrat dilucide, ne a sapientibus quidem hominibus illa aetate alienum fuisse studium se separandi a gentibus, cf. c. 44—50, ecclesiam autem se ab omnibus segregare studuisse cf. 50,27,28. Num denique censes, pios, quibus הִתְעָרֵב illud (cf. Esra 9,2, Neh. 13,3) summum videbatur scelus, ne uno quidem loco, moribus fideque ex usu et contagione cum aliis nationibus depravatis, querentes vel coram Deo accusantes dicturos fuisse: Di, puni non se separantes, qui gentilium fidem, mores sequantur? Nunquam vero in psalmis l. I invenis haec.

b) Item alius rei certissime in psalmis mentio fieri debuit, si tum essent compositi. Etenim per universam aetatem ab Esra usque ad Maccabaeos, sicut semper, populus erat divisus in duas partes piorum et impiorum; tamen si diligenter rem eruerimus, inveniemus nomina singularia, quae illis temporibus imponebant pii et ipsis et adversariis, haec: legem sequentes, ei obtemperantes atque legem non sequentes, neglegentes. Quod omnibus aetatis illius spatiis factum esse, neque, sicut coniciunt nostris diebus homines quidam temere, Graecis Egyptiacisque temporibus magis legis cultum evanuisse, quia sapientiae praecepta eadem ratione atque lex Mosaica norma vitae a Judaeis sit existimata, prophetarum praetera sententiae magis, quam lex intra populum viguerit, subito vero, cum

populus opprimeretur a Syris, denuo legis cultum nimium apparuisse, infra intellegemus, ubi de sententiis, quas prae se ferunt psalmi, disputabimus. Hîc satis erit, statuere, in nullo psalmo, qui traditus est in libro I, inimicitias inter pios et impios appellari certamen inter eos, qui legem aut sequebantur aut neglegebant; nullo praeterea loco poetae dicunt, si de rebus suis loquuntur, se legem observasse (de ps. 18,21—25. 19,8—15 infra, mentio fit legis alicujus praeterea 40,9, ps. 37,31 etc. huc non referri potest), nullo impiis opprobrio dant, quod legem contempserunt, neglexerunt; quae, si illa aetate carmina composuissent, certissime uno aliove loco fecissent. Quod inviti concesserunt quoque et Stade: „zahlreiche Lieder haben über eine religiöse Spaltung im innern der Gemeinde zu klagen und unterscheiden von den gesetzestreuen Israeliten abtrünnige und laue Glieder der Gemeinde etc. (l. c.)“, et Reuss, qui loquitur de „un parti de l'étranger contre le parti de national, tendances hellenistiques“ (cf. l. c. p. 153, Gesch. etc. § 450 sp. 480). Rectissime, harum rerum psalmi mentionem certe fecissent, si tum essent conscripti, invenis autem in iis ne minimum quidem vestigium earum.

Omnia autem, quae attulimus, multo magis etiam valere ad sententiam eorum refutandam, qui censent, psalmos omnes fere temporibus Maccabaeorum esse adscribendos, nostris diebus exponamus, vix necesse est. Quibus ex Olshausenii experimento frustra tentato inter omnes fere homines doctos constat, in primo libro non psalmos Maccabaeorum aetate compositos inveniri (cf. Kuenen l. c., Smend Z. A. W. 1888 p. 59 adn. 1). Rerum, de quibus tum certatum est, legis, sacrificiorum, sabbati, circumcisionis etc. in psalmis l. I mentio nulla fit. (Praeterea confer argumenta multa allata a Dillmannio: Jahrbb. f. d. deutsche Theol. 1858 p. 460—68, ab Ehrtio: Abf. Zeit u. Abschl. der Ps. etc.) Quod vero Graetz psalmos 8 et 30, illum quidem dubitans, temporibus his attribuit, ad psalmum 8 jam ipse causam, cur refutanda sit sententia, attulit; ad psalmum 30 partim contra ipsius propositiones (cf. praefat. p. 58. 60.) inscriptione, partim mentione Chasidaeorum, quae fit in versu 2, nititur, quae tamen appellatio partis piae intra populum vere ex contrario Maccabaeorum temporibus et e talibus psalmorum multo antea compositorum locis repetita est cf. ps. 12,2. 16,10, Micha 7,2 etc. Satis erit dicere, ne minimum quidem inveniri in psalmo utroque vestigium, quod eos tum factos esse indicet.

Habemus igitur nobis persuasum, verisimile non esse, originem partis maximae carminum, quae continentur in l. I, cum temporibus universis post exsilium, tum aetati, quae fuit post Esram, esse tribuendam. Quia vero et ex mentione, quam faciunt regis, psalmos nonnullos certissime et ex enarratione rerum, in quibus poetae versati esse videntur, omnes fere psalmos ante exsilium ortos esse verisimile esse inveniebamus, non dubitamus, jam hoc loco proponere: nisi argumentis dilucidis aliis e causarum generibus allatis eos post exsilium conscriptos esse demonstrari potest, verisimilius est, carmina, quae continentur in libro I, ante exsilium esse composita, quam post exsilium. Quam sententiam disquisitio universa postera confirmabit.

D. Disputatur de psalmorum, qui continentur in libro primo, origine, opinione de Deo sententiisque, quae ad religionem pertinent, quales inter poetas viguisse appareat, perlustratis.

§ 10. **Demonstratur, quibus de causis verisimile sit, psalmos ante exsilium esse conscriptos.**

I. Transeamus ad alterum argumentorum genus, e quo homines docti censuerunt, psalmos esse post exsilium compositos. Praemittere quidem debemus, hac de re desiderari sententiam accurate expositam, quia nemo adhuc illorum quaestionem hanc separatim tractavit. Tamen, quia, tamquam sit nequaquam dubitandum de veritate sententiae, Stade dicit: dass die Psalmen ein Erzeugniss nachexilischer Frömmigkeit sind, geht vor allem aus ihrem Gottesglauben hervor; er ist in allen Stücken von nachexilischem Gepräge und dieselben Vorstellungen durchziehen das ganze Buch, atque postea, tamquam jamdudum illa sit demonstrata, psalmos testimonia religionis formae, qualis fuerit post exsilium, affert (cf. Gesch. Isr. II p. 213 sq. Smend, Stud. u. Krit. 1884 p. 718), sententiae religiosae, quae inveniuntur in psalmis l. I enuntiatae, nobis quoque sunt examinandae. Atque ubi accurate susceperimus disputationem, inveniemus, vana esse illa, quae et Stade et Smend concluserunt. Quamquam maxima e parte alia res fons est dissensionis inter illos et nos, haec dico, quod illi psalmos non solum ab ecclesia u n i v e r s a post exsilium cantatos, sed etiam ab initio, ut

ad Dei cultum ab illa adhiberentur, a poetis esse compositos censent. Atque sententias tales, quales a psalmorum poetis audimus, longe plurimis temporibus non fuisse sententias multitudinis ante exsilium, quis est, qui neget? nos vero opinionem illam de primo poetarum consilio omnino esse omittendam demonstrasse putamus. Si autem ita est, quisnam negare potest, ex iis populi partibus, quae prophetas sequebantur, tales psalmos oriri potuisse, quales nobis sunt traditi in libro I psalterii? Pios illos eandem habuisse fidem, easdem sententias de Deo etc. atque prophetas ipsos, et e natura rei sequitur et elucet ex omnibus illis carminibus praeter psalterium traditis, quae sine dubio prophetarum aetate composita esse inveniebamus, quae vero omnes ad partes easdem sententias enuntiant atque prophetarum libri profitentur. Stade quidem, Smend, alii, qui illas Israelitarum res enarrantes piorum congregationes, multitudini populi per omnia tempora oppositas non satis respexerunt vel omnino praetermiserunt (id, quod exempli causa jam e dispositione in Stadii libro hac de re facta elucet), sententias religiosas, quales inter populum antiquum (usque ad aetatem illam, qua exstiterunt prophetae illustres) atque eas, quae intra ecclesiam post exsilium vigebant separatim tractant, eas vero, quae media aetate inter Israelitas fideles prophetarumque partes sequentes ante exsilium vigebant, omnino omittunt. Quomodo oritur explicatio illa falsa religionis Israeliticae universae, quam talem esse jam recte demonstravit König: Hier ist nur noch hervorzuheben, dass man die richtige Auffassung der alttestamentlichen Theologie die Vertreter der gemeinen Religion Israels nicht in denjenigen Propheten suchen darf, welche das Volk seine „Weisen und Gescheiten“ nannte (Jes. 29,14) etc. und welche die Frommen Israels, die Treuen Jahves, die Vertreter des unzweifelhaft höheren Religionsprincips Israels, der Geistesreligion, nicht als Heroen der grossen Vergangenheit, sowie nicht als Patrone der wahren Religion ihrer Nation anerkannt haben (cf. die Hauptprobl. etc. p. 103).

Si vero statuendum nobis est, eos, qui prophetas sequebantur, horum sententias quoque secutos esse, jam interrogamus: num etiam necesse est, ut exponamus, sententias, quas audimus psalmorum poetas profitentes, cum iis, quas enuntiarunt prophetae, qui ante exsilium floruerunt, tantopere congruere, ut hac quoque de causa et psalmi, qui continentur libro I, et prophetarum horum orationes eadem aetate compositi esse videantur? De ea sententiarum parte certe non opus est argumentatione subtili, de qua adversarii ipsi illud concedunt (cf. Smend: Z. f. A. W. 1888

p. 146: „Der Gottesglaube der Propheten hat im Gemeinbewusstsein des älteren Judentums lange Zeit fortgelebt. — Der Glaube der Propheten ist der Gemeindeglaube.“ Ecclesiae vero huius fidem apparere in psalmis, Smend censet. cf. praeterea Kuenen: Volksrel. p. 158). Atque quis est, qui neget, ubique a psalmorum poetis Deum existimatum esse spiritualem, sanctum, justum, plenum gratiae vitaeque, item vero a prophetis? (cf. imprimis 1 Sam. 17,26, Gen. 18,23 sq., Hos. 2,21 sq., Am. 2,7, Jes. 5,16. 6. 38,18, Jer. 9,23. 23,36, H. Schultz: Alttest. Theol. p. 493—505, 531—65, Riehm: alttest. Theol. p. 258—277). Notiones יֶשַׁע, חַיִּים etc., donorum gratiae piis a Deo datorum, de quibus in psalmis persaepe agitur, non esse in exsilio demum ortas (in Deuterojesaiae libro), elucet de חַיִּים ex locis Am. 5,4,6, Jer. 2,13. 17,13 etc., de יֶשַׁע e locis 2 Sam. 23,5, Ps. 20,7 (qui sine dubio ante exs. est compositus), Jes. 17,14, de יְשׁוּעָה e locis Gen. 49,18, Exod. 15,2, Deut. 32,15, 1 Sam. 2,1. Ps. 21,2 etc. Qui vero censent, has similesque notiones ante exsilium inter Israelitas existere nondum potuisse, duas has res non satis respiciunt: primum, quod oratio poetica e parallelismo membrorum, qui dicitur, aliis vocibus persaepe utitur atque sermo solutus, quia in versibus sibi respondentibus verbis variis unam eandemque rem poetae significare solebant, qua re aut voces antiquas, quibus oratio cotidiana non utebatur, usurpare vel novas formare debebant; deinde, quod plane aliae sunt res, de quibus agitur in carminibus piorum, in iis igitur, quia sententiae ad alias partes spectant, aliae voces quoque inveniri debent atque aut in orationibus prophetarum aut enarrationibus scriptorum. Monstra, quaeso, mihi voces illas in prophetarum vel scriptorum, qui scripserunt post exsilium, libris, יֶשַׁע praeter locos supra citatos non invenis nisi Hab. 3, Mich. 7, Deutjes., 1 Chron. 16,35 (carmen), in psalmis, יְשׁוּעָה nisi Jes. 12,3. 25,9, Deutjes. Jona 2, 1 Chron. 16,23 (carmen), 2 Chron. 20,17 (carmen), in psalmis, hoc est, praeter Exod. 14,13 in universo vetere testamento solum in sermone poetico. De ordine salutis, ut ita dicam, de necessitudine intima inter Deum hominemque non agitur — exceptis locis perpaucis cf. Deuterojesaiam, qui est poeta inter prophetas — nisi in talibus responsionibus piorum ad Dei manifestationes et gratias, quales sunt psalmi vel precationes aliae poetico sermone conscriptae. (cf. Reuss: Geschichte etc. p. 476: „die Psalmendichter suchen Gott und wissen ihn zu finden, die Propheten wenden sich zumeist an diejenigen, welche ihn vergessen haben.“) Collectiones ergo, quae leviter summam faciunt locorum,

quibus scriptores veteris testamenti verbis quibusdam sint usi, hoc loco item fallaces sunt atque ubique, tamen illae quoque diligenter examinatae dilucide demonstrant, voces, de quibus disputamus, jam multo ante exsilium esse usurpatas, atque ideo sententias quoque, quae illis exprimebantur, jam tum viguisse.

Jam, quis est, qui neget, eadem ratione, qua in psalmis, a prophetis quoque, qui exstiterunt ante exsilium, Deum naturae moderatorem et creatorem esse praedicatum (cf. ps. 8. 18 a. 19 a. 24. 29 cum Gen. 2. 7,4. 8,22. 14,8 sq. 24,3,7. 49,25, Exod. 19.25, Amos 4,3. 5,8. 9,6 (quos quidem locos Wellhausen prophetae abjudicavit), Nah. 1,4—6, Jes. 29,16, Jer. 1,5. 5,22. 31,35, H. Schultz l. c. p. 565—96, Riehm l. c. p. 163—69), eadem ratione hominum omnium singulorum et populorum regem et judicem? (cf. ps. 2. 7,8. 9. 22,29, מֶלֶךְ 10,16. 24,8. 29,10 cum Amos 2,1 sq. 3,2. 9,7, Gen. 18,25, Jes. 6,3. 7,7 sq. 8,9 sq. 10,5, Micha 4,13, Nah. 1,5, Hab. 1,6. 2,18, Deut. 32,39, Jer. 10,10. 17,16. 29,10, מֶלֶךְ Micha 4,7, Zeph. 3,15, Jer. 10,10, Exod. 15,8. Duhm: Theol. d. Proph. p. 157. 249, Riehm: l. c. p. 258—61). Quae omnia quidem neque prophetae neque poetae docebant solâ mente percepta et percipienda, sed erant sententiae illae fundamenta fidei in Dei auxilium et salutis in periculis spei. Enunciata autem illa ad dona spiritualia, quae dat hominibus Dei gratia, spectantia saepius in psalmis, haec ad Dei potestatem pertinentia saepius in prophetarum orationibus inveniuntur, quia videlicet prophetae imprimis spectant populi electi fortunam in mundi et gentium fortunis variis, poetae autem ipsorum salutem a Deo datam et directam; de judicio vero improborum, qui erant in populo, a Deo vel adducto vel adducendo, et poetae et prophetae eadem ratione agunt, quia illi utrorumque erant inimici. Atque, cum nemo negare possit, ubi Jahweh Israelitis deum populi se manifestavit, eos non dubitasse, quin hic esset potentissimus inter omnes deos, nulla causa inveniri potest, cur voce עֶלְיוֹן cf. ps. 7,18. 18,14. 21,8 ab exsilii demum temporibus Deus significatus esse dicatur (cf. Stade et Geiger l. c. p. 183). Immo, est vox illa rursus talis, qua temporibus antiquis Deus non significabatur, nisi a poetis, qui in versibus alternantibus sibique respondentibus unam nationem vocibus diversis exprimere volebant. Qua re prophetae (ne Haggai, Sacharja, Malcachi quidem) verbo illo uti non solent, invenitur vero in carminibus sine dubio ante exsilium compositis. cf. Num. 24,16, Deut. 32,8. (Conjectura Stadii, et hunc versum et 17. 37 etc. postea esse additos cf. Z. f. A. W. 1885 p. 297—300, nihil est

nisi petitio principii, quae dicitur.) Praeterea, si ei esset assentiendum, non Jes. 14,14, ut illi conjiciunt, sed Threni 3,35 esset locus, quo primo in veteris testamenti libris Deus voce illa esset significatus. Tamen num quis censet, tum, templo deleto, fuisse tempus idoneum, quo notio talis oreretur? tum Jahweh supremum inter deos se praestiterat? De loco Gen. 14,18 tacemus, e quo quidem item concludi potest, usum illum vocis עֶלְיוֹן jam fuisse perantiquum.

II. Transeamus ad sententias nonnullas, quae in psalmis inveniuntur enunciatae, de quibus paullo planius nobis est disputandum, quia nostris diebus opinio viget et explicata est ab hominibus doctis, illis demonstrari, psalmos post exsilium esse compositos. 1. Ac primum quidem attulerunt, quod Deus in psalmis primi libri saepenumero quidem in templo, saepe tamen in coelis quoque habitans praedicetur, quae sententia non ante templum a Babylonicis deletum oriri potuerit. cf. ps. 11,4. 18,7,14,17. 20,7. 29,9. 14,2. Quam opinionem defendunt et Stade (Gesch. II p. 245. cf. Z. f. A. W. 1884 ad Jes. 33,5) et Schwally (Z. f. A. W. 1888 p. 185 sq. ad Jer. 25,30,31: „in diesen Versen befremdet, dass die Wohnung Jahwehs in den Himmel verlegt wird. Für Jeremia dagegen wohnt er im Tempel zu Jerusalem wie für Jesaia und selbst noch für Ezechiel. Der Glaube, dass Jahwehs Wohnung im Himmel sei, ist erst in nachexilischer Zeit völlig durchgedrungen“). Mirabile est, adhuc nonnulli homines docti de cogitationibus Israelitarum, quales prima religionis aetate hac de re viguissent, judicabant: Jahweh ist der leuchtende Himmel (cf. Meier, J. L. Müller), alii Deum Israeliticum eundem aestimare volebant atque deos sidereos aliorum Semitarum (cf. Pfleiderer), omnes ergo Dei sedem antiquitus inter Israelitas putatum esse coelum censebant (cf. Baudissin: Stud. z. semit. Religionsgesch. II p. 268), nostris diebus subito hanc Dei sedem Israelitae nondum cognosse dicuntur. Nemo quidem negabit, temporibus ante templum deletum praeter cetera semper memoria tenuisse Israelitas, Deum cum in aliis sanctuariis terrestribus tum in templo Hierosolymitano habitare, non vero, quia alibi eum non esse, sed quia non alibi ab adorantibus vel sacrificantibus faciem ejus inveniri posse putabant. Qua cum opinione eam conjunctam esse potuisse, Deum coela quoque implere, e sententiis, quales fuerunt post exsilium, elucet, etenim tum sententias duas, et Deum in coelis habitare et in templo, juxta se viguisse, omnes concedunt. (cf. 1 Reg. 8, ubi in eadem precatione sententiam utramque invenis enunciatam.) Atque illam

jam ante exsilium quoque exstitisse, his argumentis comprobatur. Primum, si quidem Deus mundi universi creator et gubernator putabatur, sententia excludi non poterat, mundum quoque ab eo impleri, si dat imbres cf. Micha 5,6, Deut. 28,12, Jer. 5,24, coeli moderator est, si manus ejus usque in hadem pervenit cf. Amos 9,2, Deut. 32,22, sedes ejus non intra sanctuarii unius vel complurium terminos coercita cogitatur. Deinde consilio fit, quod Schwally locos omnes, quibus liber Elohistae, qui significatur, sententiam illam jam ante exsilium vulgatam fuisse demonstrat (cf. Gen. 21,17. 22,11,15. 28,12,17), serius additos esse contendit, etenim etiam in libro Jahwistae, qui significatur, eadem opinio invenitur enunciata. (cf. Gen. 11,5. 24,7. 49,25, Exod. 3,8.) Sequuntur argumenta e prophetarum libris repetita. Si dicit Amos 9,6; „qui aedificat in coelis solaria et cameras suas", si Jesaia in visione illa Deum conspicit in coeli templo c. 6 (ut ad hoc voces referamus, cogit mentio seraphim angelorum, quae fit in capite), si pronuntiat 31,6: descendit Jahweh Zebaoth in Zion montem (unde? nisi e coelo, etenim Zion habet vim templi), si in Michae libro Deus appellatur: אֱלֹהֵי מָרוֹם cf. 6,6 et Deut. 33,26, elucet, prophetas quoque Deum in coelis habitare cogitasse. Sententia denique, quam profitetur Jeremia, Deum relinquere posse templum, cf. Jer. 3,16. 7,4 sq., non separari potest ab altera, quam eandem Jeremiae fuisse constat, Deum non huic loco esse alligatum. Quod vero censet Schwally: „ein Argument von der Kraft des Gedankens, dass Jahwe gar nicht im Tempel wohnt, würde sich Jeremia im Kampfe gegen seine Zeitgenossen wohl nicht haben entgehen lassen, wenn es in seinem Gesichtskreise gestanden hätte," nihil comprobat, quia nemo censet, hanc Jeremiae sententiam fuisse, immo praeter habitationem in templo eum in coelis quoque Deo sedem attribuisse, eadem ratione, qua inter Judaeos post exsilium duae opiniones juxta se vigebant. Recte igitur judicavit Smend: „Es ist aber schwerlich jemals in Israel bezweifelt, dass Jahwehs eigentlicher Sitz im Himmel sei." (cf. Stud. u. Krit. 1884 p. 690. Schulz l. c. p. 488—500. Riehm l. c. p. 233.)

2. Ab alia parte argumentum contrarium allatum est, quod psalmorum nonnullorum poetae templum Hierosolymitanum tantopere venerati sint, ut ante exsilium eos vixisse putari non possit. Qua de causa Kuenen psalmos 23. 26. 27. 36 aetati huic abjudicat. Neque tamen negari potest, nullum esse inter psalmos hos discrimen et alios, quos K. ipse ante exsilium ortos censet (ps. 5. 15. 20. 24, cf. Ex. 15,7), nisi quod affectûs poetarum in

illis apparent vehementiores quam in his; sententiae vero, quae enuntiantur, sunt eaedem. Ergo, illos quoque jam tum componi potuisse, negari non potest. Etenim, quis est, qui neget, templum Dei terrestre jam ante exsilium plurimi esse aestimatum? Quamquam erant in terra alia quoque sacra, in quibus adorabant et sacrificabant Israelitae, tamen jam eos prophetas, qui primi exstiterunt, templo Hierosolymitano summam singularemque gravitatem attribuisse, satis elucet e locis Amos 1,2. 9,1 sq. Jes. 2,2 sq. 1,12. 8,18. 11,9. 18,7. 29,7 sq. 30,29. 31,5,8. Micha 3,12. Quibus vero sententiis universum fere populum assensum esse, e Jeremiae libro intellegimus (cf. Jer. 7, 26, imprimis praeterea Threni 4,12). Quia ergo negari non potest, Deum jam multo ante exsilium sensim manifestum fecisse, uno loco adorari se velle, atque iis, qui hoc eum venerabantur, favoris sui beneficia promisisse (cf. Deuteronomium), quia praeterea concludere debemus Hierosolymitano in templo imprimis ex Hiskiae et Josiae sacrorum reformationibus Dei cultum multo fuisse integriorem et pulchriorem, quam aliis locis, si pios tunc temporis precantes fingimus, eadem fere ratione de templo loquentes cogitare eos debemus, qua psalmorum illorum poetae dixerunt. Jam, si ab exsulibus Babylonii poposcerunt carmina de Zione (cf. ps. 137), quae Israelitas jam in captivitatem secum tulisse constat (cf. § 4), nonne concludere possumus, ea fuisse carmina talia templum celebrantia, qualia sunt psalmi 23. 26 etc.?

3. Tertium argumentum, quo e sententiis, quas psalmorum poetae professi sunt, repetito eos ante exsilium compositos esse refutari nonnulli censent, hoc est, quod in iis inveniatur talis inter Deum Israelitasque singulos necessitudo praedicata, qualis prophetarum temporibus nondum fuisse videatur. (Imprimis Smend iterum iterumque sententiam hanc defendit cf. Z. f. A. W. 1881 p. 131. 140. 1886 p. 146. Listen d. Bb. Esra u. Neh. p. 3. Comment. de Ezech. libro. Praeterea Schwally l. c. p. 187. Cautius Duhm: l. c. p. 104. 188. 190. 215 etc.) Jam supra diximus, esse homines, qui necessitudinem talem, qualem praedicaverint psalmorum poetae, si illi de poetarum ipsorum rebus agentes existimentur inter pios Israelitas Deumque umquam exstitisse denegent, quorum sententias refutavimus (cf. § 5); restat ergo, ut jam ante exsilium pios singulos a Deo et salutem ipsorum sperasse et poenam metuisse demonstremus. Atque hac de re haec affirmamus. a) Si quidem prophetae jam ante exsilium docuerunt monotheismum ethicum, qui dicitur, ab eodem tempore,

quo hic est ortus vel acceptus fide, singuli quoque Israelitae Deum ipsorum dominum, judicem, vindicem existimabant. Etenim, ubi discernuntur, id quod fit in prophetarum orationibus ubique, in populo probi et improbi, quos Jahweh vel adjuvet vel perdat, tum non in populum universum Dei vel gratia vel ira intenta putatur, sed in Israelitas singulos. (Quod Duhm quoque concessit p. 188 etc. Altercationi, quam fecit Koenig l. c. p. 100, vim tribuere possumus nullam.) b) Si quidem homines singuli ante exsilium Deo vel sacra fecerunt vel ad eum precati sunt, quod a nullo negari potest (cf. § 4), si quidem exstiterunt jam tum leges divinae ad homines singulos pertinentes (cf. Exod. 20,2), Israelitae singuli quoque Dei cogitationes ad ipsos esse intentas putabant. Quod confirmatur appellatione Jahwae tamquam singulorum Dei. cf. Deut. 4,5. Jos. 14,8. 1 Reg. 3,7. Jes. 7,13. Hos. 9,8. Ex. 32,11. Deut. 17,9. 18,7. 1 Sam. 13.13. 15,30. 30,6. 2 Sam. 14,7. 1 Reg. 1,17,30. 2,3. 2 Reg. 19.4. Jes. 7,11. 37.4. Mich. 5,3. Jer. 42,2,5 (cf. Baudissin: Stud. z. semit. Religgesch. I p. 153 adn.; de appellatione Adonaj cf. Dalmann z. bibl. Theol. I p. 55). c) Aperte hanc sententiam explicatam invenimus multis locis, e quibus cogitationes, quales fuerint hac de re ante exsilium, eruere possumus. cf. Gen. 3,16 etc. Ex. 1,20. 1 Sam. 25,39. 26,23. 2 Sam. 3,39. 7,14. Jud. 9,54; in prophetarum orationibus: Hos. 4,9. 14,10, imprimis Jes. 3,10,11: אוֹי לְרָשָׁע רָע כִּי־גְמוּל יָדָיו יֵעָשֶׂה לּוֹ 3,16 sq. 6. 8,11. 5,8 sq. 33,14. Micha 6,8. Zeph. 1.12: וּפָקַדְתִּי עַל הָאֲנָשִׁים. Deut. 17,12. 24,16: אִישׁ בְּחֶטְאוֹ יוּמָתוּ. Confer denique Jeremiae librum: 11,20. 12,37. 15,21. 17,16: לָתֵת לְאִישׁ כִּדְרָכָיו. 18,11. 22,15. 23,2. 26,3 etc. d) Nimium concludunt homines illi docti et e Jer. 21,29 sq. et e Threni 5,7 et ex Ezech. 3.18—21. 14,14 sq. 18,2 sq. Quibus e locis intellegimus, multitudinem populi magnam, quae templum et regnum aeterna esse putabat, calamitates, quibus affecta est, non alia ratione declarandas esse atque temporum priorum peccatis adductas existimasse. Cui sententiae orationibus obstiterunt prophetae, cum maximae quidem populi parti sententiam novam afferrent, quae tamen non omnibus ad id temporis ignota fuisse videtur. Si Jeremia sententiam illam, homines singulos pro facinoribus suis et gratiam et poenam a Deo accipere, nondum inter aequales vulgatam, sed futuram enuntiat, elucet quidem, eam prophetae temporibus e casibus singularibus valde fuisse concussam. Conspexerant enim mortem lugubrem regis illius Josiae, qui Jahwae cultum restituerat, pie vixerat, Deo confidens bellum susceperat, nullam aliam calamitatum

causam invenire poterant, nisi hanc: filii puniuntur propter peccata patrum. Sed talia enunciata nihil erant nisi cogitationes, quae ad tempus existebant, neque tales sententias aliis temporibus inter pios viguisse, satis elucet ex universo libro Jeremiae ipsius (cf. c.), nihil aliud illae sunt existimandae nisi summae cogitationum aetate quadam e rebus singularibus ortarum inter maximam populi partem, quas Ezechiel demum hominis docentis ratione formulaque dilucida iis opposita refutabat, quibus tamen jam Jeremia obsistebat pronuntians, homines singulos pro suis factis in jus vocari, quamquam populum huic assensurum esse, de futuris demum temporibus sperabat. (cf. Kuenen: De Godsdienst I p. 455 sq.) Atque eadem ratione, qua Jeremiae, ante eum piis quoque singulis cum Deo usum fuisse, etiamsi nondum plane explicare poterant, quomodo Deus tribueret hominibus facinorum vel praemia vel poenas, testimonia undique supra (cf. c.) allata satis comprobant. e) Confirmatur opinio nostra, sententiam illam non ex Ezechielis demum temporibus esse ortam, hac re. Eadem cogitatio, quam invenimus a prophetis ante exsilium enunciatam plerumque, homines singulos solum, quia sint populi electi filii, Dei gratiae participes fieri, invenitur ubique eadem ratione explicata post exsilium, item opinio cum cogitatione hac cohaerens, et poenas et gratias Dei propter patrum mores et vitam adduci posse. cf. Neh. 9,34,35. 13,26 sq. Esra 2,62. Dan. 9,16. Tob. 1,1. Sir. 33,8. 36,12 sq. 1 Macc. 4,10 etc. Quid? quod idem ille Ezechiel, qui sententiam, Dei cogitationes ad Israelitas singulos intentas esse, primum concepisse dicitur, populum universum צַדִּיקִים, gentes רְשָׁעִים appellat (cf. § 6 adn.). Intellegimus ergo dilucide, et sententiam, Jahwam esse populi universi deum, et alteram, eum esse Israelitarum singulorum deum, juxta se inter pios existere potuisse, neque, quia illa invenitur saepissime a prophetis ante exsilium pronuntiata, concludi posse, hanc tum nondum viguisse. f) Omnibus denique illius conjecturae defensoribus crimini damus, quod non satis hanc rem respexerunt. Aliud est, si aut scriptor enarrat populi res aut propheta populum vel docet vel accusat vel adhortatur, aliud, si aut homines singuli sapientes cogitant de vita, de mundo, de Deo aut pii ad Deum precantur eique supplicant. (cf. Kuenen: De Godsdienst II p. 242.) Atque, quia, si psalmos praetermittimus, precationes hominum singulorum, qui vixerunt ante exsilium, praeter Jeremiae precationes (e critica arte novissima ne Hiskiae, Michae, Habacucis quidem cf. infra) nobis non sunt conservatae, tamen — ut e rei natura sequitur, etenim non esset

religio Israelitica religio vera, si hoc deesset — homines singulos quoque precatos esse ad Deum nobis est traditum multis locis (cf. § 4), ex arbitrio facta est sententia, has precationes non enuntiasse talem certitudinem, Deum in singulos quoque oculos dirigere et vice versa singulos in eum oculos dirigere posse, qualem invenimus in psalmis. Etenim precationes, quae praeter populi universi obsecrationes, ut Deus ipsum servaret, ne se puniret etc., nihil continebant, omnibus singulorum salutis vel remissionis desideriis, gratiis etc. omissis, ab ecclesia ad Dei cultum congregata adhiberi poterant, nequaquam ab hominibus singulis ad templum vel procul templo precantibus. Quia vero eaedem sunt sententiae, quas de hominum singulorum cum Deo usu invenimus in Siracidae, eaedem, quas in Nehemiae, eaedem, quas in Jeremiae precationibus (cf. § 5), omnium autem ante Jeremiam prophetarum orationes eandem necessitudinis inter Deum Israelitasque singulos fidem prae se ferunt, etiamsi non tam explicatam, ut fieri potest in precationibus, concludere debemus, horum aequales, si precabantur, eadem ratione singulos Deum appellasse, ejus auxilium, gratiam etc. sibi ipsis advocasse, qua fit in psalmis. Etiamsi ergo Proverbia, quae quidem certissime argumenta comprobantia de sententiis, quales viguerint ante exsilium inter Israelitas, afferri possunt, quae in unoquoque fere capite eundem hominum singulorum cum Deo usum, quem psalmi, praedicant, omittimus, satis constare nobis videtur, hac e re nullum argumentum repeti posse, quo psalmos ante exsilium compositos esse refutetur (cf. Koenig l. c. q. 99 sq. Riehm: alttest. Theol. p. 178—80). Si vero est ita, non solum unum locum, quo in psalmis l. I. doctrinam quandam talionis hominibus singulis a Deo allatae explicatam invenimus, ps. 18,26,27, non temere post exsilium compositum, sed propter formam illius simplicissimam et cognationem loci cum sententia item simplici Hos. 14,10 b ante Ezechielem conscriptum esse judicabimus.

4. Quid vero loquamur de psalmis iis, in quibus pronuntiatur, futura esse tempora, quibus dei unius fides non intra populi Israelitici fines coerceatur, sed per alios quoque populos diffundatur? Quam sententiam jam ante exsilium inter pios Israelitas viguisse, ex iis concludi potest, quae proxima in parte (cf. 3) demonstravimus. Recte enim dixit Riehm: „Hat die überwiegende Betonung der religiös-sittlichen Basis der Gemeinde Jahwes zur Folge, dass die Idee des Gottesvolkes mehr oder weniger auf einen Kreis innerhalb Israels beschränkt wird, so ermöglicht dieselbe den

Universalismus für die Zukunft“ (l. c. 251). Non quidem e psalmis huc referendi sunt ps. 9,12. 18,50, cf. 7,8 — psalmum 33 jam praetermittimus, quia eum esse post exsilium compositum, infra intellegemus —, etenim sententias easdem inveniri in omnibus prophetarum orationibus enuntiatas nemo negabit. Pii rem suam gravissimam inter omnes mundi res existimant, quare et coelum terraque et omnes gentes piorum rerum testes et spectatores cogitantur vel admonentur, ut animum in eas attendant. cf. Jes. 1,2, Micha 1,2, Deut. 32,1. Si vero invenimus in psalmis locos nonnullos, quibus omnes populos ad Jahweh deum se conversuros esse pronuntiatur cf. imprimis ps. 22,28, hanc sententiam jam ante exsilium viguisse, vix negari povest. Quod intellegis ex Amos 5,18, quem ad locum recte adnotat Kuenen (Volksrel. etc. p. 125): „Die Erniedrigung der Feinde Israels und ihre Unterwerfung unter Israels Gott waren unzweifelhaft darin aufgenommen.“ (Ceterum, quia hanc sententiam populi propheta non tollit, immo addit, Israelitis quoque fore diem judicii, sententiam ergo ethicam, ut ita dicam, cum diei Jahwae spe conjungit, quod Kuenen sententiae gravitatem religiosam attribuere nolit, rectum est, si ad populi, haud vero, si ad prophetae sententiam spectatur). Multo clarius elucet, opinionem illam jam ante exsilium exstitisse, e locis his: Gen. 12,3. 28,14. 49,10. Jes. 2,2,3. Micha 4,1,2. (cf. Nowack Z. f. A. W. 1884 p. 278 et Ryssel: Micha p. 253). Jes. 11,10. 18,7. 19,1,9, imprimis Zeph. 3,9. Jer. 3,17. 16,19—21. (cf. Kuenen l. c. p. 125—128, H. Schultz l. c. p. 749—751.) Omnino haec sententia separari non potest ab illa, de qua supra disputavimus (cf. I), Jahweh esse deum mundi universi; si putabatur talis, fidem ejus ad omnes quoque mundi gentes perventuram esse, sperasse tum Israelitas concludere debemus. Quod denique in psalmis interdum poetae generatim loquuntur de hominibus, liberis hominum cf. ps. 8,5. 12,2. 14,2. 21,11. 31,20. 32,2. 36,8. 39,6, ante vero exsilium etiam prophetae plerumque nullos spectabant nisi Israelitas et nisi de necessitudine inter Deum illosque non agebant, — ut omittamus, locis plurimis psalmorum voces illas referendas esse ad ipsos Israelitas, humilitate eorum coram Deo significata — jam tum conspectum piorum hac de re non fuisse intra populum Israeliticum circumscriptum, intellegis e locis: Gen. 2. 3. 6 etc. cf. Amos 4,13. Micha 6,8. Jes. 2,20. Deut. 32,8. Jam, hoc loco iterum Proverbiorum argumentum attingere modo volumus, non eo niti; in quibus ubique fere eadem invenitur conspectûs amplitudo.

III. Non ergo est, cur e sententiis, quas professi sunt psalmorum poetae, eos post exsilium compositos esse existimemus. Quid? quod, si quidem inde aliquid concludi potest, e contrario argumenta hinc repetere possumus, quod illi ante exsilium sint orti. Plerumque enim judicatur, easdem sententias de Deo etc. inveniri in psalmis omnibus cf. Stade: „dieselben Anschauungen durchziehen das ganze Buch" (cf. Gesch. II p. 213). Cui vero, si psalmos diligenter perlustraverimus, non assentiendum esse inveniemus. Quamquam si quaeris progressūs, gradūs cognitionis religiosae, quales statuerunt homines quidam docti factos esse ita, ut Dei cognitio, quae vigebat temporibus antiquis inter Israelitas, prophetarum ex orationibus, imprimis vero exsilii temporibus funditus sit permutata, frustra quaeres sed non modo in psalterio, verum etiam apud prophetas et scriptores, tamen progressum quendam opinionum ad religionem pertinentium e cognitionibus, quas casus illi Israelitis attulerunt, factum esse, quis est, qui neget? Sententiae quidem eaedem plerumque jam diu ante exsilium existebant, tamen aut populi multitudo iis nondum assentiebatur aut inter pios nondum ita erant explicatae, ut planis verbis de iis hominum docentium ratione a prophetis etc. ageretur. Eundem autem invenimus in psalterio progressum, si psalmos eos, qui sine dubio post exsilium sunt orti, comparamus cum iis, quos nos ante exsilium compositos esse statuimus. Atque quattuor sunt sententiarum genera, quae brevi tangemus, quae omnia demonstrant, qua ratione exsilii e temporibus Israelitarum scientia sit aucta, sententiae sint explicatae, conspectus fidelium factus sit amplior. 1. Deus post exsilium ubique appellatur mundi universi, terrae coelorumque creator, quod in primo libro psalmorum nusquam invenitur tam expressis verbis dictum cf. ps. 94.9. 95.5 sq. 102.26. 104.13.24. 31. 115.15 sq. 121.2. 124.8. 134.3. 136.5. 139.3. 146.6. 148.5 (item singulorem quoque hominum). עֹשֵׂה־ שָׁמַיִם וָאָרֶץ cognomen fere Dei factum est cf. ps. 63.6 sq., quem post exsilium esse ortum, infra. Neh. 9.6. Eccles. 12. Ps. Sal. 5.10—12 etc. 2. Gentium dii omnino non existere dicuntur cf. ps. 95.3. 96.4.5. 97.7.9. 113.5. 115.2 sq. 135.5.6.9—15 cf. Sir. 33.5 etc. 3. Deus mundi universi omniumque gentium rex appellatur cf. ps. 93.1 sq. 94.2.10. 96.1.13. 97.1. 98.9. 99.2. 103.19. 113.4. 114.2. 145.1.13. 146.10. 149.2. cf. Sir. 33. Ps. Sal. 9.14. 17.4 etc. 4. Non solum Israelitarum fidem ad omnes mundi gentes perventuram esse, poetae praedicant, sed illae, quasi jam tum Deo uni serviant, appellantur cf. ps. 96.7. 101.1. 106.16.23.

113,3. 117. 138,4. 145,2. 148,11 (cf. 136,25. 33,8,13. 66,8. 67,4. Mal. 1,11). Quae sententiae quamquam ex parte jam inveniuntur in libro primo, tamen in carminibus, quae continet, nequaquam cogitando et considerando ortae esse videntur, immo medio e vitae usu, neque nisi in transitu tanguntur, post exsilium vero aut ratione explicata agitur de iis (cf. ps. 104; 136), aut ex iis jam orta sunt Dei cognomina, ubique fere usurpata, etiam, ubi fides precantis vel canentis rebus, quae his cognominibus pronuntiantur, non nititur. Psalmus 29 exempli causa Dei potestatem celebrat, quae in natura se manifestet, naturam vero omnino Dei potestate esse creatam omittit, quod numquam fecisset poeta post exsilium, ps. 8 item tangit modo rem illam quasi in transitu (cf. v. 5). Argumentis ceterum 2—4 non nimiam vim tribuere volumus, quia dicere potes, in libri I. psalmis non occasiones harum rerum mentionis oblatas esse multas, tamen argumentum 1. gravissimum nobis esse videtur, quia illo certissime poetae vexati, afflicti, querentes nixi essent, si post exsilium vixissent.

§ 11. **Explicantur argumenta, quibus psalmos post exsilium non esse ortos comprobatur.**

Ipsae res modo tractatae indicare nobis videntur, tantum abesse, ut sententiae quaedam de Deo, mundo, templo etc., quas professi sunt psalmorum l. I. poetae, carmina haec post exsilium composita esse demonstrent, ut ante exsilium ea esse conscripta ex illis verisimilius fiat. Sunt vero alia argumenta, quae hanc opinionem confirment. Atque distinguimus talia, e quibus non verisimile est, et talia, e quibus fieri omnino non potuisse constat, ut psalmi post exsilium sint compositi.

I. 1. Ac primum quidem disputandum nobis est de opinione, quam psalmorum poetae enuntiaverint de templo. Bene exposuit Stade (Gesch. II p. 245—48), qua ratione Jahweh templo priore deleto magis magisque existimatus sit ab Israelitis deus coelestis (qui quidem jam putatus est antea quoque, tamen tum semper magis vigebat sententia, in templo eum vere habitare cf. § 10. II. 1, sententia illa neque tam saepe neque tam explicata ante exsilium invenitur, ut post exsilium), cur cognomine semper fere ei attributo coela habitans appellabatur cf. ps. 103,19. 104,3. 113.4. 115,3. 123,1. 119,90. 136,25. 33,13. Esra 1,2. 5,11 sq. 6,9 sq. 7,12,20. Neh. 1,4. 2,4,20. 2 Chron. 6,14. — finis, 36,23. Eccles. 5,7. Dan. 2,18,28,37. 5,23. 1 Macc. 3,19,60. 4,10,55. 6,23. 30,27. 2 Macc. 3,15. Tob. 13,15,17.

Ps. Sal. 3,24 etc. Quare prophetae, qui populum post reditum graviter admonebant, ut aedificarent templum, hoc non faciebant nisi, quia putabant, ubi esset exstructum, adventurum esse diem Jahwae, quo is ad populum veniret et omnes gentes ad Israelitarum populum Deumque se converterent. Templum erat exstructum, calamitas manebat eadem, Deus non apparebat. Putabatur ergo non templo adesse, sed temporibus demum futuris, messianicis, quae dicuntur, venturus esse, cf. Sach. 2,14. 3,9 sq. 8,3,22. Mal. 3,1. Jes. 24,23, 25,10, Hag. 2,7—9. Sach. 14,3 sq. 1 Reg. 8,15—9,9. 2 Chron. 7,12—15. Eccl. 5,1 (Ps. 68,2,22 sq. 99,5). Cum vero eandem sententiam enunciatam inveniamus his locis: Sir. 33,17. 35,21. 47,13. 1 Macc. 5,37, quibuscum comparandi sunt Sir. 24,12. Ps. Sal. 7,5. Henoch 89,56,67 etc., concludere debemus, omnibus post exsilium temporibus Judaeos opinionem illam tenuisse. Et prophetae et sacerdotes et scripturae docti omnes idem judicant. In psalmis autem, qui continentur in libro I., ubique Deus in templo praesens appellatur, non modo audire ibi precationes, sed videre etiam precantes et conspici ipse dicitur. Quonam modo id fieri potuit, si illi post exsilium essent compositi? Etenim elucet, non assentiendum esse Smendio, qui dixit: „Die Unzertrennlichkeit der Verbindung von Gott und Volk war nicht anders vorstellbar, als dass er an einem Orte wahrhaft inmitten seines Volkes weile“ (cf. Stud. u. Krit. p. 720); nonne omnes illi scripturae docti, prophetae etc., qui post exsilium scribebant, quamquam Deum non in templo praesentem esse putabant, populum Israeliticum cum Deo esse praeter alios populos conjunctum tenebant ex electione divina? cf. ps. 135,4. Maiorem quidem vim habent ea, quae affirmavit Stade: „Strebt so auch in unserm Zeitraum die theol. Reflexion ernstlich danach, in den Vorstellungen von Gottes Wohnung der neuen Gottesvorstellung Rechnung zu tragen, so wird diesem Streben doch durch die Thatsache des täglichen Kultes im Tempel aufs kräftigste Abbruch gethan, welcher in allen seinen Formen von der Voraussetzung ausgeht, dass Gott im Tempel inmitten seines Volkes anwesend ist, und eben hiedurch diese alte Vorstellung der frommen Betrachtung immer wieder neu einschärft“ (cf. Gesch. Isr. II p. 248). Nisi vero fuissent carmina temporibus prioribus composita, quibus sententia antiqua novae aetati reservabatur, eidem cultui adjuncta, num putas, ex Dei cultu solo, quem plerumque non penitus a populo intellectum et mente comprehensum esse aliunde scimus, quamquam sacerdotes doctique ipsi Deum in coelis habitantem, nequaquam

in templo praesentem esse putabant, post exsilium nova carmina componi potuisse, in quibus perpaucis Deus in coelis habitans, plurimis in templo praesens praedicabatur? Non negamus, tum quoque precantes affari potuisse Deum: Audi me, flecte aurem etc., tamen, quoties audimus in psalmis: ut videam faciem tuam etc., quod post exsilium templi visitantes dicere non poterant. cf. ps. 11,7. 16,11. 17,6,15. 20,3. 21,7. 24,6. 27,8. 31,18,21,23. 41,13. ps. 5,15, numquam vero invenimus in iis: hic est locus, ubi habitat nomen tuum etc., quibus vocibus usi sunt Judaei precantes persaepe (cf. 2 Chron. 6,33. Dan. 9,17. ps. 68,2,22. 68,29,34,36. cf. Pont: Ps. 68 p. 142—44). Recte quidem postea dixit Stade: „Die Stimmung, beim Tempelbesuch vor Gottes Antlitz, in seinem Hause zu Gaste zu sein, hatte sich aus der vorexilischen Zeit in die nachexilische vererbt und findet in den im Tempel gesungenen Liedern einen kräftigen Ausdruck" (l. c. p. 249). Sed nonne concludere debuit, hos cantus eosdem fuisse, quibus ecclesia Judaica sententiam illam a patribus acceperit? Etenim num putas, hoc factum esse per homines illos senes, qui prius templum frequentaverant, aut liberos eorum, quibus patres narraverant de illo, coram quibus prophetae (Sacharja etc.) pronuntiaverunt, Deum non jam adesse in templo? Quod denique dixit Kuenen: „Der Tempel Serubabels und Josuas ist es, der den Dichtern diese Klänge glühenden Verlangens entlockt hat, der priesterliche Gottesdienst, wonach ihr Herz schmachtete" (Volksrel. etc. p. 165), Dei cultûs sacerdotalis nisi in uno psalmo vel duobus, qui continentur in libro I., mentio non fit (27,4 cf. 26,7), in ceteris non Dei cultum, sed Dei praesentiam et faciem se appetere poetae dicunt. Templum celebrare post exsilium quoque poterant poetae propter sacra, quae in eo fiebant, gravitatem eius et praesentem et futuram, id quod in psalterio Salomonis quoque invenimus, tamen se Deum ibi spectaturos esse sperare non poterant. Si vero jam vulgata erant in populo carmina ante exsilium composita, in quibus canentes Deum tamquam in templo praesentem alloquebantur, sententia haec in ecclesia prorsus vigere poterat post exsilium et nova carmina hanc opinionem pronuntiantia et ex illis repetentia oriri poterant.

2. Adnotatione illa Kuenenii, quam modo attulimus, jam stricta est res altera, qua non solum psalmos non post exsilium, sed etiam ante id compositos esse verisimile fit. Recte enim Kuenen loco illo enuntiavit, quid inveniremus in psalmis, si essent post exsilium compositi. Neque enim negari potest, aetate hac

universa cultum sacrorum a Judaeis plurimi esse aestimatum ita, ut ille summo gaudio, sancto metu, ferventi desiderio, summa vero superbia quoque adversus gentes impleret animos piorum. Quare non solum partes singulas cultus huius post exsilium carminibus celebrabant, neque quidquam erat in eo, quod iis non laude et gloria dignum videretur cf. ps. 115,13. 118,3. 122. 132,2,16. 134. 141,2 (imprimis de sacerdotibus agunt) Sir. 24,26. 26,22. 45,9 sq. 50, sed etiam Hierosolyma urbem, quam Deus elegerat, ubi sacra fierent, tanti existimabant, ut hymni permulti hanc celebrantes orerentur. Quae aestimatio odio quoque Samaritanis illato viceque versa aucta esse videtur. cf. ps. 116,19. 122,2,6. 125,2. 128,5. 135,5—7. Dan. 9,19. Sir. 36,13. Tob. 13,10. Bar. 4,30 sq. Ps. Sal. 11,9 etc. Utriusque quidem et cultûs sacrorum et urbis verecundia jam ante exsilium existebat, tamen celebratio, qua post exsilium extolluntur, sermone elatiore fit, multo est frequentior, magis vero ad res externas spectans, singulas et sacrorum et templi partes laude extollens. In primo vero psalmorum libro praeter 27,4 (cf. 26,6,7) nullum horum vestigium invenitur.

3. Arctissime cum argumento, quod primum exposuimus, cohaeret aliud, quo non minus verisimile fit, psalmos l. I. ante exsilium esse ortos. Quia enim Deum non inter ipsos praesentem esse putabant Judaei, exspectatio et spes de temporibus futuris, messianicis, quae dicuntur, hanc accepit formam, ut Deum ad templum die suo venturum esse censerent. Semper quidem vigebat inter Israelitas ex Amos prophetae temporibus exspectatio, Deum populos esse judicaturum cf. Am. 5,18. Micha 1,3 sq., sed post exsilium, quia Deum habitare trans mundum, templo non adesse putabant, spes illa hac ratione pronuntiabatur: Deus temporibus futuris, ut gentes in jus vocet, venturus est ad populum, ad templum. Quam exspectationem invenimus in psalmis, qui post exsilium certe sunt compositi, pronuntiatam, imprimis in pss. 96—98. In psalmis vero, de quibus disputamus, invenimus eam numquam. Quamquam eorum quoque poetae spem quandam messianicam profitebantur, tamen nequaquam talem, qualis post exsilium viguit. cf. ps. 7,9. 9,9. 22,27 sq. Stade et Smend quidem ubique fere inveniri hanc censent, ubi enim poetae vocibus קוּמָה vel חוּשָׁה etc. usi sunt, quod factum est persaepe cf. 7,7. 17,3 etc., quibus Deum esse appellatum et admonitum, ut veniat ad judicium, judicant. Quae interpretatio cohaeret cum falsa sententia ab iis pronuntiata, ecclesiam universam ad Dei cultum congregatam loqui in psalmis. Quia autem praeter locos illos tres psalmos l. I. non continere

precationes ab ecclesia de judicio postremo gentium dictas jam supra intelleximus, immo ubique agitur de conservatione aliqua hominum singulorum e periculis vel piorum complurium, quia ne uno quidem verbo dilucido indicatum est, agi de adventu illo Dei temporibusque messianicis, voces illae omnes nihil nisi precationes vehementes atque obsecrationes sunt existimandae, voci הַקְשִׁיבָה, aliis similes. Quod confirmatur gravissime loco Jer. 2,27, qui sicut omnes illi psalmorum loci ortus esse videtur e versibus illis antiquissimis de arca Jahwae dictis Num. 10,25: קוּמָה יהוה יָפוּצוּ אֹיְבֶיךָ.*)

4. Accedit, quod ab Ezechielis temporibus (cf. c. 37. Jes. 24—27. 65. 66 etc.) spes illa messianica, quae ad homines singulos pertinebat, revelatione divina progrediente, sensim mutabatur; etenim Judaei hac de re haec exspectabant: piorum unusquisque die judicii est surrecturus, in aeternum victurus, gloriae futurae populi particeps futurus (cf. Dan. 7,9—27. 12,2. Ps. Sal. 2,38. 15,13. Schürer: Gesch. d. jüd. Volkes II p. 421 sq.). Cuius spei nondum ullum indicium invenimus in psalmorum libro primo, quod fortasse exspectare debemus, si inter Esram et Maccabaeos sint conscripti; omnia a Deo et praemia et poenas hac in vita hominibus impertiri, poetas censuisse apparet (cf. imprimis ps. 37 et Reuss, qui ipse concessit: „Bei unserer Überzeugung, dass die allermeisten Psalmen der jüngsten Periode der hebräischen Litteratur

*) Unus est in primo libro ps. 2, qui loquatur de Messia planis verbis v. 2. 7. 12, cuius de originis aetate dubitari potest. Concedimus enim, nullum locum sine dubio ante exsilium conscriptum demonstrari posse, quo sic, ut fit 2,11, affetur propheta vel poeta gentes externas et adhortetur eas, ut Deum timeant et laudent. Quod futurum esse aliquando, temporibus messianicis, jam ante exsilium pii sperabant, tamen tali ratione explicatam tamquam jam temporibus praesentibus effectam spem numquam alicubi invenimus. Hoc quidem fieri potuisse a poeta eodemque vate res futuras praesentes fingente negari non potest; quid? quod versu 6., qui de rege, typo qui dicitur regis futuri, tum regnante agit, — etenim institutione divina regis terrestris nititur spes, regnum regis futuri dirui non posse — ante exsilium factum esse psalmum verisimile fit. Sed de originis tempore dubitari posse concedimus. Et plus fortasse dubitari potest, quia psalmo ascripta non est לְדָוִד inscriptio, cum ille aperte aetate quadam, antequam psalterium in eam formam est redactum, qua nobis est traditum, cum iis psalmis, quibuscum nunc, nondum esset conjunctus. Sed etiamsi ps. 2. post exsilium ortus sit, eam ob rem nihil de psalmorum 3—41 origine concludi potest; ceterum psalmi inter hos regis mentionem facientes omnes plane aliis vocibus de eo loquuntur (cf. supra). — In psalmo 33, quem aliis quoque de causis post exsilium compositum esse putamus, sententiam similem atque in psalmo 2 enunciatam invenimus cf. v. 8. Illum autem initio non cum psalmis 3—41 fuisse conjunctum, iterum inscriptione לְדָוִד non ascripta confirmatur.

angehören, würde es uns gar nicht befremden, wenn in denselben der Glaube an eine jenseitige Vergeltung unter den Motiven des Trostes in trüber Zeit in den Vordergrund träte. Wir können aber nicht finden, dass er in den Psalmen bezeugt wäre." cf. Gesch. etc. § 482). Etenim locos ps. 16,10 sq. 17,15 similes non ad vitam aeternam esse referendos a plurimis hominibus doctis hodie conceditur.

5. Alio argumento item fit verisimile, psalmos, qui continentur in libro I., non compositos esse aetate illa, cui plurimi nostris diebus docti originem eorum attribuunt. Constat enim, ab Esrae temporibus initioque aetatis, qua scripturae docti florere incipiebant, imprimis ab aetate graeca, qua Deum magis magisque trans mundum tollebant, Judaeos veritos paullatim esse, nomen illius sacrosanctum pronuntiare. Quare libri aetate hac conscripti sensim pro Jahweh nomine vel אֱלֹהִים vel אֲדֹנָי vocibus utuntur. (Chronistes saepe אֱלֹהִים voce utitur, ubi Regum libri יהוה, Ecclesiastes solum אֱלֹהִים, Daniel יהוה et אדני vocibus non utitur nisi in capite 9 et semel in c. 1., alias semper אֱלֹהִים cf. Dalmann l. c. p. 78 sq.) Itaque in carminibus, Davidi attributis, quae continentur in altero psalmorum libro, quae tum collecta esse recte jam demonstravit Ewald, quamquam non tum demum sunt composita, tamen ab homine, qui ea collegit, nomina Dei ubique fere ita sunt mutata, ut in locum eorum אֱלֹהִים vox substitueretur (cf. Dichter d. A. B. p. 244—46); Psalmi vero 3—41, in quibus ubique nomen יהוה invenitur, non solum jam ante aetatem illam compositi, sed etiam in unum librum redacti esse videntur.*)

6. Accedit argumentum hoc. Post exsilium pietatem Judaeorum et fidem multo magis quam ante illud tempus sacrae historiae argumentis confirmatam esse, quis est, qui neget? E variis multisque beneficiis, quae Deus per saecula populo Israelitico impertiverat, Israelitae singuli quoque concludebant, Deum ipsos adjuturum, non relicturum esse in calamitatibus et vexationibus, non se suaque improborum libidini dediturum esse; vice versa poenis, quibus affecti sunt patres, docebantur et admonebantur, ut Deum vererentur. Quare hac aetate cum scriptores videmus petentes,

---

*) Ceterum si poetae psalmorum 90—150 multo saepius Jahweh quam Elohim voce sunt usi, inde concludimus, quocum rês, de quibus illa agunt, plane congruere nobis videntur, id quod alio fortasse loco exponemus, eos omnes fere ab exsilio usque ad Esrae tempora, Esrae diebus, annis proximis usque ad tempora graeca esse compositos, post haec ortos nullos fere nobis esse traditos in psalterio.

ut piis manum Dei per omnia tempora et servantem et punientem e populi historia demonstrent (cf. Chronistae libros), tum poetas materias tales ex historia repetitas tractantes (cf. ps. 105—7, 114, Neh. 9), tum precantes brevi precationibus praemittentes vel immiscentes historiae sacrae res aliquas, quibus nititur fides et quibus vel gratiae vel poenae patribus datae in memoriam et Dei et precantium revocantur (cf. ps. 95.8 sq. 113,7—9. 126. 136,10 sq. 137. 147,2 sq. Neh. 1. Esra 9. Dan. 9, imprimis Sir. 2,10. 33,8. 36,16. 37,16. 42,15. c. 44—50. 1 Macc. 2,52—60. 4,9. 7,41 etc.) Quorum omnium praeter ps. 22,5,6 ne minimum quidem indicium in primo libro invenimus.

7. Negari denique non potest, e temporibus exsilii angelorum fidem, quae quidem jam antea vigebat, ea ratione esse amplificatam, ut sensim ii personae mediae putarentur, quae Dei in coelis habitantis consilia ad homines pertinentia efficerent (cf. Stade: Gesch. II. p. 229). Et Ezechiel cf. 9. 10,2,6 sq. 40,3 sq. etc. et Sacharja prophetae cf. 1,12. 3. 4,1 sq. 5,2 sq. 6,4 sq. et Daniel 10,5—12,6 sic docent, quanto magis ecclesiae multitudinem hanc sententiam suam fecisse constat, quae erat „ein Bedürfnis des volkstümlichen Glaubens", ut Stadii verbis utamur (cf. Tob. 3,24. 5,4 sq. 12,15sq. Henoch. 61,10. Bel. 36. 39. Sus. 55. 59. 2 Macc. 3,24—53). Homines quidem litteris dediti nonnulli vel sententias antiquas caute servantes, imprimis scripturae docti, non nimis libenter sententiam hanc accepisse videntur, tamen in psalmis non loquuntur docti, sed media ex ecclesia pii. Si quidem ergo e sententiis, quae aetate quadam viguerunt, argumenta repeti possunt, quibus libros eadem esse conscriptos comprobetur nonne exspectari debet, si carmina tum essent composita, quibus pii salutem petebant a Deo, ut adversarii perirent, ipsi e periculis servarentur, in iis poetas exclamaturos fuisse interdum ad Deum: mitte angelorum tuorum turbas? Nihil vero tale invenis in psalmis, de quibus disputamus. Invenitur quidem angelorum quoque mentio in psalmo 29, Dei potestatem celebrante, in quo admonentur, ut ii quoque in coelo Deum glorificent; quae cogitatio jam a Jesaia est enuntiata (c. 6. cf. praeterea Gen. 6. Riehm l. c. p. 156 sq.), item sententia, Dei praesentiam kerube manifestam fieri, quae pronuntiatur in psalmo 18, jam inter veteres vigebat (cf. Riehm 19,3). Numquam vero in psalmis illis angeli salutis media nominantur vel a Deo adpetuntur, ut fit in psalmis, qui post exsilium sunt compositi (cf. ps. 91,11,12. 104,4? 103,20. 148,2 etc.). At nonne angelorum mentio fit im psalmis 34,8. 35,6,8? Certe, sed nonne

mirum est, quod nullo alio loco in psalmorum libro I. angelorum mentio fit, ubi autem angelus appellatur homines adjuvans, eodem fit nomine, quo ante exsilium semper Deus se manifestans appellatur? Stade ipse facere non potest, quin apud ps. 34,8 „die Nachwirkung der alten Vorstellung vom Engel Jahwehs“ agnoscat. Nonne vero rectius est concludere, voce illa carmen, in quo ea invenitur, antiquum esse demonstrari? *)

Quia ergo in psalmo 18 Deus non comitantibus myriadibus angelorum (cf. ps. 103,20 sq. 148,2. 68,18. Sach. 14,5. Dan. 4,32 etc.) sed solus apparens celebratur vehens kerube (de aetate vero, quae fuit post exsilium, dixit Stade p. 229: „Gott erscheint für unsere Zeit überhaupt nicht mehr“) quia tribus in psalmis angelorum fidem talem enunciatam invenimus, qualis vigebat ante exsilium (filii Dei, angelus Domini), quia in ceteris omnibus nulla angelorum mentio facta est, satanae quoque nulla, quae certe locis nonnullis inveniretur, si illi aetate persica exeunte vel graeca orti essent, non dubitamus, quin hac quoque de causa psalmos, qui continentur in libro I., ante exsilium compositos esse verisimile sit. (In libris quibusdam aliis, qui post exsilium sunt conscripti (cf. psalterium Salomonis) angelorum mentio non fit, quia ii, qui illos componebant, de psalmis veterioribus exempla capiebant (cf. infra).

II. Sequitur, ut afferamus argumentum, quo plane refutari nobis videtur sententia, psalmos, qui continentur in libro I., post exsilium esse compositos. Jam supra (cf. § 9) animadvertimus, numquam fere in his legis mentionem fieri quod gemina ratione futurum fuisse censemus, si tum ii essent conscripti. Primum enim verisimile est, poetas, si post exsilium vixissent, locis nonnullis enuntiaturos fuisse aut contra adversarios, ipsos legem servasse, tamen ab inimicis, calumniatoribus etc. persecutionibus affici, aut adversus Deum punientem, se pios leges eius observasse vel, si sunt psalmi e poenitentia orti, se eas neglexisse, sed ad eas reversuros esse, legis denique tamquam piorum normae mentionem facturos fuisse; invenimus vero numquam fere talia, sed וַאֲנִי עָנִי וְאֶבְיוֹן. similia (cf. supra). Jam vero certissime aliquando, si post exsilium carmina essent conscripta, adversariorum vitam impiam

---

*) Quod Stade de angelo illo malo, cuius in ps. 35,5 mentio fit, judicat (p. 243), somnium est; aperte ille est idem Maleach Jahwae, de quo ps. 34 agit, qui non solum pios servat, sed etiam impios punit cf. Hengstb. Del. Smend. Nowack contra Hupf., qui 34,8 „angelum“ vocem nullo argumento vel analogia allata „angelos“ significare censet. cf. praeterea 2 Sam. 12,28. Jos. 5,14.

his vocibus descriptam audiremus: „Dei legi non obtemperant, thoram contemnunt“. Quarum non magis in primo libro vestigium ullum invenimus, ne in iis quidem psalmis, qui planis verbis exponunt inimicorum sententias, quales fuerint. Tamen poetas, si post exsilium carmina conscripsissent, ratione illa res, in quibus versabantur, expostituros et adversariorum ipsorumque mores aestimaturos descripturosque fuisse, ubi sententias, quales post exsilium hac de re viguerint, diligenter perlustraverimus, evidenter elucebit.

Etenim Esrae Nehemiaeque temporibus legem plurimi esse aestimatam, ab omnibus existimatam rem gravissimam earum, quas Deus populo donaverat, in illam omnes piorum cogitationes intentas fuisse, quis est, qui neget? Quae in precationibus tum factis a piis enuntiata esse persaepe, intellegis e locis Neh. 9,34: לֹא עָשׂוּ תוֹרָתֶךָ וְלֹא הִקְשִׁיבוּ אֶל מִצְוֹתֶיךָ, Esra 9,14, quid? quod ecclesia universa, quamquam nonnulli inviti, ad illorum sententiam se convertebant. Quam aetate Chronistae, quem Graecis temporibus incipientibus libros conscripsisse censemus, inter pios eodem modo, nisi etiam magis, vigentem invenimus: voces „pietas erga Deum“ et „pietas in legem“ tum idem significasse videntur cf. 1 Chron. 16,40. 22,12. 2 Chron. 8,13. 12,1. 14,3. 17,9. 19,10. 23,18. 25,4,33. 30,16. 31,3. Atque in precationibus his quoque temporibus eadem ratione precantes profitebantur hanc legis aestimationem. cf. 1 Chron. 29,19 לִשְׁמֹר מִצְוֹתֶיךָ עֵדוֹתֶיךָ, 2 Chron. 6,16: לָלֶכֶת בְּתוֹרָתִי. Item conspicimus centum quinquaginta annis post legem rem gravissimam toto mundo existimatam a piis. cf. 1 Macc. 1,67. 2,20,48,50. 3,5. 4,42 etc. non minus in precationibus cf. Dan. 9,10 לָלֶכֶת בְּתוֹרֹתָיו, 9,13 כָּתוּב בְּתוֹרַת מֹשֶׁה. Elucet, talem sententiam non subito velut e nihilo ortam Maccabaeorum aetate exsistere potuisse; immo his e testimoniis concludere debemus, jam priore temporis spatio, quo e contagione Judaeorum cum gentibus externis factiones intra populum ortae sunt, controversiam inter pios et impios eandem fuisse, quae fuit Maccabaeorum temporibus, ita, ut altera pars legem divinam a patribus traditam observaret, altera, ea neglecta, mores externos, consuetudines alienorum sequeretur, quamquam facile concedimus, ardorem certaminis ex oppressionibus et vexationibus populo ab Antiocho illatis vehementiorem factum esse. Si ergo aetatem totam ab Esra usque ad Maccabaeos respicimus, judicare debemus, ea psalmos, qui continentur in libro I., oriri non potuisse, quorum poetae nondum legem morum omnium normam, nedum rem gravissimam inter Dei beneficia, ad quam omnes

piorum cogitationes intenderent, existimasse videntur. Tamen altercationes variae contra hanc conclusionem fieri possunt.

a) Ac primum quidem nitens psalmis iis, qui certe post exsilium sunt compositi, dicere aliquis potest, inter eos quoque esse multos, in quibus legis mentio nulla fieret, ergo tantum legis cultum, quantum invenimus in aliis libris, in carminibus omnino non esse pronuntiatum. Distinguere vero debemus inter carmina angustiore vocis significatione, id est: hymnos etc., qui tantopere ad Dei gloriam et potestatem vel in natura vel in hominum rebus manifestatam spectant, ut et piorum consuetudines et conditiones magis neglegantur vel silentio praetermittantur — tales vero plurimi suut psalmorum illorum certe post exsilium compositorum cf. ps. 95—100. 135. 136. 146—50 — atque precationes et expositiones e meditationibus vel contemplationibus ortae orationeque magis minus poetica compositae, quae ampliore vi voci subjecta carmina appellari possunt (cf. ps. 6. 22. 37 etc.). In quibus saepissime inveniri post exsilium mentionem et aestimationem legis divinae pronuntiatam, et jam intelleximus cf. Neh. 9 etc. et psalmis ipsis comprobatur. cf. ps. 89,30—32. 105,45. 112. (103,18. 106,3), imprimis ps. 119 et 1; longe vero plurimi psalmi, qui traditi nobis sunt libro I., sunt tales vel precationes vel expositiones, in quibus mentionem legis futuram fuisse, si post exsilium essent compositi, concludendum nobis est (quid? quod saepius quam in libris posterioribus, quia hi plurima ex parte continent hymnos etc., qui in illo inveniuntur perpauci cf. ps. 29 etc.).

b) Alterum argumentum contra ea, quae supra conclusimus, allatum est hoc, quod per universam illam aetatem tum spatia quaedam tum ecclesiae partes magnae fuerint, in quibus tanta legis aestimatio, quantam temporibus quibusdam post exsilium viguisse demonstravimus, nequaquam exstiterit. Habemus quidem nondum aliquam explicationem huius sententiae subtiliter factam, plerumque adhuc nihil nisi adnotationes breves ab hominibus doctis factae sunt, nam Holtzmannii expositioni universae hac de re vim nullam attribuere possumus, qui decrevit, statuit, non demonstravit. Argumenta hac de re, Proverbiis, Jobi libro, psalmis priorum librorum, de quorum omnium origine aeque nostris diebus dubitatur et disputatur, omissis, ex iis solis libris afferri possunt, qui sine dubio post exsilium compositi sunt. Statuitur autem ab hominibus doctis quibusdam, temporibus graeci et ptolemaici imperii praeter legem hominum sapientium doctrinas et praecepta plurimi esse aestimata a Judaeis piis, simul prophetarum sententias

in ecclesia viguisse, qua re legis gloria et gravitas magis esset minuta (cf. Smend: Z. A. W. 1888 p. 146. Kuenen: Volksrel. etc. p. 173: „Ist es eine gewagte Voraussetzung, dass die Gemeinde der Frommen das durchgeistigte Wort der Gesandten Jahwehs reichlich so hoch schätzte als die oft dürren Satzungen der Thora?“). E Maleachi vero et Danielis libris, qui, quamquam prophetae esse volunt, ipsi sunt legis magistri, libri prophetarum, qui ante exsilium floruerunt, magis hac aetate valuisse videntur ad artem apocalypticam, quae dicitur, excolendam, ad vaticinia temporibus prioribus dicta vel repetenda vel expingenda, quam ad doctrinam de salute sententiasque de piorum vita, qua ratione degi deberet, explicandas. Jam, quod lex et prophetae aeque sint aestimati, non solum est „eine gewagte Behauptung“, ut Kuenenii verbis utamur, sed omnibus repugnat, quae nobis sunt tradita (cf. infra: legis ubique invenis per hanc aetatem mentionem dilucide et nominatim factam, prophetarum ipsorum rarius, librorum eorum vel sententiarum numquam fere). — Sapientiam tum denuo viguisse, quis est, qui neget? conscripserunt enim sapientiae magistri hac aetate opera nobis tradita (cf. Eccles. Sap. Sir.). Quid? quod ex his intellegimus, Judaeorum multorum erga Deum pietatem aetate illa non velut torpuisse et obduruisse, quod nonnulli interdum censuerunt; pii nihili aestimabant, quod quis legem diligenter sequebatur, animo a Dei timore remoto cf. Eccl. 4,17. Sir. 4. 28. 32 etc. Tamen haec ipsa sapientium opera refutant sententiam eorum, qui censent, psalmos, de quibus disputamus tum ortos esse. Etenim, ut omittamus, ab iis quoque, qui pietatem veram petebant, semper tamen ab Ezechielis temporibus hoc factum esse legis constitutae praeceptis diligentissime observatis neque quemquam aliam rationem exhibendae pietatis cognosse, quare in adhortationibus illa aetate dictis iterum iterumque legis mentio fiebat, quae nulla fere in psalmorum libro primo invenitur (cf. contra Neh. 5,9 sq. 13,14,22. Dan. 4,24. Sir. 29,15. Tob. 4,11. 12,9. 2 Macc. 12,44), ut omittamus, e psalmis ipsis nullo indicio demonstrari posse, temporibus, quibus sint orti, sapientium praecepta tantopere inter pios omnes viguisse, libri illi, qui vere graecis temporibus sunt conscripti, demonstrant dilucide, quales sententias professuri fuerint psalmorum poetae, si tum carmina composuissent. Imprimis enim e Siracidae libro intellegimus, eius temporibus sapientiae et legis praecepta existimata esse eadem, itaque ne sapientes quidem homines caruisse aestimatione summa legis, qui ipsi discriminis inter pios et impios hanc statuunt notam, utrum observent legem

necne, omnia sapientiae praecepta non commendant alia de causa nisi, quia a lege quoque jussa sunt. cf. Sir. 1,32. 2,16. 6,34,37,38. 8,8. 9,15. 10,19. 15,1,15. 17,9. 19,17,21. 21,11,12. 23,33,37. 28,6,27. 29,1,9,11,12,14. 32,1,27. 35,15,23. 36,1,2. 39,1. 44,11, imprimis 24,22 sq. 41,8. 42,2.*)

Quid? quod etiam Ecclesiastes, qui interdum omnino sacra patria deseruisse dictus est, ad extremum sententiam illam enuntiat: „time Deum et serva j u s s a eius". cf. 12,13. Si vero hac ratione dixerunt sapientes, qui studebant, Israelitarum historiam, sacra, religionem non respicientes sapientiae praecepta dare, quales putas fuisse tunc sententias multitudinis ecclesiae, e qua media orti sunt psalmi, si tum sunt conscripti: nonne debuerunt omnes tales a lege incipere, ad legem reverti, legem celebrare, atque si non omnes, tamen plurimi? Atque etiamsi poetae nullam vim tribuissent observationi legis simulatae, animo a Deo alieno, nonne hoc certe sententiis falsis, quae inter magnam populi partem certissime tum vigebant, obsistentes, ut fecerunt Siracides et Ecclesiastes, pronuntiassent et hac in re legis mentionem fecissent? Recte ergo conclusit Diestel: „Schon hieraus könnte man die höchst wahrscheinliche Folgerung ziehen, dass die Hauptmasse der Lieder in eine Zeit fiel, die der öffentlichen kanonischen Geltung der Thora vorausging." (Jahrbb. f. deutsche Theol. 1860 p. 214. Recte praeterea hac de re judicasse nobis videtur Ewald l. c. 3. 2. p. 298 etc., Grätz l. c. 2,2, Riehm, Schultz (alttest. Theol.), maximam quoque ad partem Kuenen: De Godsdienst II p. 302—305 etc., qui quidem paullo plus vigoris religiosi aetati illi attribuisse nobis videtur.)**)

c) Aliud argumentum Smend, ut sententiam suam de origine psalmorum confirmaret, repetiit e psalterio Salomonis, quod appellatur. Atque hoc eum jure quodam niti posse, quis est, qui neget? in illo enim nulla fere invenitur legis mentio, quamquam e Phari-

---

*) Quasi praetereuntes dicamus, hac e re repetendum esse argumentum gravissimum, quo comprobetur, Proverbia ante exsilium esse conscripta. In libro enim Siracidae vox „lex" ubique notionis certae significatio est, habet vim thorae in pentatenchi libris collectae, in Proverbiis vero vocis vis multiplex est cf. 3,1. 4,2,4. 6,23. 7,2. 13,13. 19,16 (contra 28,4,7,9); praeterea nequaquam in iis omnes cogitationes ad legem intendunt, ut fit in illo libro.

**) In memoriam revocare volumus, eosdem homines doctos, qui olim vehementissime contendebant, nequaquam prophetarum sententias et praecepta sacra, qualia contineret sacerdotum codex, qui nominatur, eadem aetate orta esse existimari posse, nunc studiosissime asseverare animum legis observationi cultuique deditum et sententias prophetarum juxta se vigere potuisse.

saeorum congregatione, quae legis cultui erat dedita, est ortum. Tamen hoc argumento non ea refutari, quae de psalmorum origine exposuimus, his de causis elucet. 1. Primum memoria tenendum est, alias esse res, e quibus ortum est Psalterium Salomonis, alias, e quibus orti essent psalmi, de quibus disputamus, si inter Esrae et Maccabaeorum tempora essent compositi. Post Maccabaeorum bella erat controversia his de sententiis: „Deus dominus — non homines", has inter partes: religiosi, sancti — profani etc. (cf. Ps. Sal. 2,36. 4,28. 5,22. 17,1,5,38. — 4,8,10,11. 7,1—8,37; 4,2,3,7,10. (חֲנֵפִים; *βέβηλοι*) 1,1—8. 2,1—5. 8,12,13,26, Wellhausen: Pharis. u. Sadd. p. 94 etc.); ante bella e contagione gentium et Judaeorum his de rebus agebatur: Deus dominus — non di externi; mores interni a patribusque traditi — mores alieni gentilesque, legis divinae, cultus legis contemptio (cf. § 9 II). E victoria enim Maccabaeorum rebus funditus mutatis legis cultores in omnia tempora vicerant. Pompeji ergo temporibus pars utraque populi legem observabat, reverebatur (quamquam altera magis altera minus), neque erat causa, cur pharisaeorum partes lege imprimis niterentur (cf. Wellh. l. c. p. 92. 152); ante vero bella Maccabaica hoc semper factum esse, ubi pii contra impios a Deo auxilium petebant, supra demonstravimus. 2. Accedit, quod psalterium Salomonis magna ex parte nihil est nisi nisi imitatio vel accommodatio psalmorum canone traditorum ad res posteras facta; plurima carmina, quae illo continentur, horum exempla et sententias imitantur. Recte enim dixit Wellhausen: „die kanonischen Psalmen haben den Ton angegeben, der hier nachklingt". (cf. p. 119.) Quare, ubi in psalmo aliquo hebraico legis mentionem invenis (in ps. 1), eandem animadvertis in psalmo Salomonis, qui illum imitatur (ps. Sal. 14), aliis locis nullis fere. Itaque nequaquam concedere possumus, e Psalterio Salomonis argumentum repeti, quod omnibus testimoniis ex aetate ipsa, de qua disputatur, allatis repugnet.

d) At sunt psalmi in primo libro, qui legis cuiusdam planis verbis mentionem faciant; nonne hi saltem post exsilium sunt compositi? Quod statim negámus de psalmis 18 (v. 23), 37 (v. 31), 40 (v. 8). Etenim inter omnes constat, jam omnibus ante exsilium temporibus Israelitas leges a Deo datas habuisse et divinas eas agnosse. cf. Hos. 4,8. 6,7. 8,1,12. Am. 2,4. Deut. 33,4,10 etc. Cur ergo earum non mentio facta esse potest in psalmis sic, ut fit 37,31? Jam, psalmi 18 poetam, quamquam se legem Dei observasse affirmat, tamen salutem suam sola a gratia Dei sperasse, ut sperarunt Israelitae ante exsilium (cf. Jer. 3,13. 23,6 etc.), elucet e

versibus 31. 36 etc. De psalmo 40 statim infra disputabimus. Tantum abest, ut trium illorum carminum cogitationes omnes ad legem intendant, ut haec modo quasi in transitu tangatur. Alia quidem ratione de psalmo 19,8—15 judicari debet, in quo lex tantopere celebratur, ut non conscriptus esse possit, nisi, postquam lex aliqua definita populi universi norma est constituta. (Quia vero recte adnotavit Hitzig: „das Gesetz ist dem Dichter noch nicht ein jenseitiges, welches durch das Gedächtnis den Weg zum Herzen sucht wie in den Zeiten der jüdischen Dogmatik“ (l. c. p. 13), carmen praeterea omnes ad partes Deuteronomii fervorem et spiritum spirat, non trans exsilium descendere debemus, si originis tempus statuere volumus, sed primo gaudio de Josiae restauratione sacrorum id compositum esse censemus. (Quod confirmatur loco Deut. 4,8, qui versus imitatur ps. 19,10b (cf. Kautzsch: Üb. d. Derivata d. St. צדק p. 14), eam autem partem, in qua invenitur versus ille, critici plurimi exsilii temporibus attribuunt (cf. Kuenen-Weber, Einleit. I p. 258), ergo psalmum 19 ante exsilium conscriptum esse, concludendum est). Persuasum ergo nobis habemus, sententiis, quales poetae psalmorum de lege professi sint, imprimis vero omni legis mentione plurimis in carminibus desiderata, librum primum ante exsilium ortum esse demonstrari. Jam modo strictum est argumentum aliud, de quo pauca separatim disputare volumus, quia id imprimis opinionem nostram confirmat. Poetas enim psalmorum l. I. sacrificiorum cultum et cognosse et ipsos observasse, constat et e testimoniis dilucidis cf. ps. 5,4. 26,6 et ex haud rara templi mentione concludi potest, uno loco 20,4 etiam gravitas quaedam iis attribuitur. Tamen invenitur locus quoque, quo enunciatur: לֹא חָפַצְתָּ זֶבַח וּמִנְחָה 40,7, quocum cognati sunt alii, quibus sacrificia vel integra vel spiritualia opponuntur sacrificiis, quae offeruntur animis offerentium a Dei timore remotis cf. 4,6. 27,6 etc. Jam prius demonstraverunt homines docti, hos psalmos nisi ante exsilium ortos esse non posse, consentire eos cum iis, quae prophetae illius aetatis affirmassent cf. Amos 5,22. Hos. 6,6. Micha 6,8. Jes. 1,11—16. Jer. 3,13. 6,19 sq. 7,22. (Bredenkamp: Ges. u. Proph. p. 59—72. De voce חֲטָאָה 40,7 disputavit contra Wellhausenium Köhler l. c. II p. 165 adn.) Ac recte quidem.*)

*) Vix necesse est refutemus Olshausenii conjecturas vanas de psalmo 40, qui censebat, eum esse compositum temporibus syriacis, quia contineat „eine Lehre, welche durch die Unmöglichkeit der Darbringung gesetzmässiger Opfer, wie sie sowohl im Exile als später unter Antiochus stattfand, beim

Concedi debet, nullo omnino tempore post exsilium ecclesiae sententiam fuisse talem, qualem in psalmo enuntiatam invenimus. Etiamsi certe non deerant, qui sacrificia animo non ad Deum attento facta nihili aestimarent (cf. Sir. 7,9. 34,23. Eccl. 4,17), tamen hoc illa aetate numquam talibus vocibus pronuntiari poterat, qualibus fit hoc loco; quid? quod tum etiam in sapientium libris commendationem et celebrationem sacrificiorum invenimus summam (cf. Sir. 7,29—31. 32,1—12. 38,11 etc.). Imprimis vero templi cantores, qui, si psalmi post exsilium sint compositi, ab omnibus poetae putantur, animo illo historiae sacrae, legi, sacrificiis dedito non caruisse, recte jam Kuenen ea re demonstravit, quod eos in familiarum propaginibus cognoscendis elaborasse tabulasque, in quibus maiores a Davidis temporibus usque ad ipsorum aetatem enarrarentur, promulgasse e Chronistae libris intellegamus (cf. De Godsdienst II. p. 294). — Facere ergo non possumus, quin psalmum

---

Volke immer mehr Eingang finden musste“? Audimus enim, et sacrificiorum observationem initiis bellorum Maccabaicorum fuisse partium piarum et impiarum notam (cf. 1 Macc. 1,45,58. 2,22) et semper, ubi fieri poterat, pios iterum sacrificasse (cf. 1 Macc. 4,54) et iis e temporibus sacrificiorum aestimationem magis magisque crevisse. Psalmum non in exsilio Babylonico esse ortum, jam supra contra Ewaldium exposuimus (cf. § 9). Smend vero (l. c. p. 109) referre vult psalmum ad tempus illud, quo ecclesia post exsilium legem agnovit et obsequio eius se obligavit. Sed ut omittamus, nullam omnino exsilii vel reditus e terra Babylonica facti mentionem inveniri in carmine (cf. contra ps. 103 etc.), persaepe autem aliis quoque temporibus pios conservatos esse, num censet Smend, rem illam talibus verbis significari potuisse, qualia inveniuntur in psalmo 40? Ubi enim audimus, Esrae temporibus legis corde recipiendae mentionem factam esse, ubi, Deo sacrificia oblata, animo integro non cum illis conjuncto, non placere? Immo, quae fuerunt, quibus tum se obligavit ecclesia? Imprimis commemoratur separatio a gentibus Neh. 10,31, sanctificatio sabbati 10,32, tributa ad templum et sacrificia conferenda 10,33,34, primitiae v. 35—38, decimae v. 39 sequ. Quae lex existimatur jugum, quod obtemperanter Judaeus ferre debeat cf. Neh. 9, qua ratione tandem de ea praedicari potuit: בְּתוֹךְ מֵעָי? Nescimus, an Smend ipse senserit, interpretationem, quam attulit, carminis ipsius argumento repugnare, ad ps. 51,8 proponit aliam explicationem, quae eodem jure adhiberi possit, hanc dico „dass der Cultus des zweiten Tempels Jahweh überhaupt nicht gefiel“, nisus testimoniis Hag. 2,14. Mal. 3,4. Hen. 89,73. Ps. Sal. 2,1 sq. Lib. Jub. 30,16,17, quamquam ipse hanc interpretationem non defendit. Eam vero esse rejiciendam, elucet; etenim Hag. 2,14. Mal. 3,4 sacrificia oblata eam ob rem aperte impura appellantur, quia Judaei partim templi aedificatione neglecta partim vel impuris animalibus oblatis vel aliis peccatis coram Deo contaminati erant; templum non fuisse dignum, in quo sacra fierent, nullo verbo indicatur. Alii autem loci, quos attulit, profitentur sententiam, quae erat tum demum orta, cum templum iterum iterumque ab hostibus externis profanatum esset.

40 ante exsilium ortum esse censeamus. Utrum ante Deuteronomium promulgatum an post id sit compositus, hoc loco dijudicare non possumus, quia antea necesse est opinionem nostram de legum divinarum forma, qualis fuerit ante Deuteronomium populi normam constitutum, exponamus, quod hoc loco longum erit. Si vero carmen hoc, cuius poeta planis verbis se sacrificia minimi aestimare pronuntiat, ante exsilium compositum est, argumentum quoque illo affertur et de aliis, quae hac in re cum eo consentiunt, ps. 4,16 etc. (cf. ad hunc Deut. 33,19) et de omnibus, quae una cum his in unum librum sunt redacta, neque opinioni, ea tum orta esse repugnant.

Tantum igitur abest, ut e sententiis, quales psalmorum poetae professi sunt, argumenta repeti possint contra opinionem, eos ante exsilium compositos esse, ut iis omnes in partes subtiliter tractatis id verisimile ne dicam certum fiat.

E. Disputatur de libri primi psalmorum origine, consideratis iis, quae sunt propria sermonis eorum.

§ 12. Demonstratur, non inveniri causas, cur psalmos ante exsilium compositos esse, negari possit.

Transeamus ad tertium genus causarum, quae afferri possunt, si disputatur de originis psalmorum temporibus, ad eas dico, quae e sermone, quo carmina sunt conscripta, repetuntur. Praemittere quidem debemus, hanc artis criticae rationem, quippe quae sit novissima, ad psalmorum, de quibus agimus, originem eruendam nondum esse ab hominibus doctis adhibitam. Etenim Giesebrecht, qui contra Rysselii dissertationem „De Elohistae pentateuchici sermone" quaestionem hanc de sacerdotum codice, qui dicitur, penitus tractavit, disquisitionem de psalmorum sermone suscepit quidem, sed non perfecit. Qui de quattuor solum libris postremis disputavit eosque omnes e loquendi consuetudine, qua poetae sint usi, post exsilium compositos esse judicavit; tamen multa jam argumenta attulit, quae ad primi quoque libri psalmos valent.

Ac nos quidem dicimus, ipsa ea ex re concludi posse, disputationem omnem a Giesebrechtio factam vanam esse, quia id, ad quod dissertatio eius pervenit, propositionibus ipsius non respondet, immo eas refutat. Etenim, si argumenta ab eo allata vere

vim haberent, facile esset inde demonstratu, universum quoque primum librum temporibus post exsilium esse attribuendum, id quod e tabellis, quas fecit p. 186—197, Giesebrechtium ipsum non censuisse intellegimus. Quo ducat demonstratio, quae talibus causis, qualibus G. ex parte usus est, nititur, exempli causa jam de psalmis 4. 7. 8. 11. 12. 15. 18. 19, qui ab aliis libri I. non nimis distant, exposuit Cornill (De ps. 68 indole atque origine p. 33 sq.). Libenter quidem Stade, qui Giesebrechtii sententiam jam suam fecit, Smend, alii hoc concedent, inde vero concludent, falsam esse non argumentandi rationem, quam adhibuit G., sed propositionem eius, psalmos ante exsilium compositos nobis esse traditos, iisdem de causis psalmos quoque 6. 17. 18. 22. 23. 27. 28. 30. 31. 37. 38 etc., quos G. ante exsilium ortos statuit, temporibus post exsilium esse ascribendos. Cogimur ergo subtiliter tractare quaestionem universam. Atque recte semper duas res G. separatim examinavit, quas jam Ryssel his de argumentis disputans distinxit, primum voces, quibus usi sint scriptores vel poetae, quaestiones lexicales, quae nominantur, deinde leges, quas ii vel in vocibus formandis vel in oratione conjungenda sint secuti, quaestiones grammaticas, quae appellantur.

I. Primum ergo disputabimus de vocibus, quibus psalmorum poetae usi sunt. Atque duas hoc loco proponimus theses, priorem: verisimillimum est, ex hac re omnino argumenta de origine psalmorum repeti non posse; alteram: sin repetere quis vult, praeter sermonis cognationem cum Proverbiis et Jobi libro inveniet artam affinitatem cum oratione Deuteronomii, Jeremiae, Deuterojesaiae (Ezechielis); ergo hac quoque re, si quidem quid comprobari potest, quod nos non censemus, confirmatur, multitudinem psalmorum l. I. aetate prophetarum, qui ante exsilium floruerunt, etiamsi exeunte, conscriptam esse.

1. Ac primum quidem elucebit, his propositionibus esse assentiendum, ubi rationem, qua argumentatus est Giesebrecht, examinaverimus eamque fallacem esse demonstraverimus. Etenim jam Driver (Journal of Philology 1882: Linguistic affinities of the Elohist p. 233 adn.) demonstravit, ratione, qua usus est Giesebrecht, multas veteris testamenti partes post exsilium ortas esse comprobari posse, quas adhuc nullus homo criticus temporibus his attribuerit. Quod exposuit Driver de Jes. 11,1—9. Exod. 15,1—18. 2 Sam. 1,19—27. Atque plane assentimur ei, quid? quod addimus: non solum carmina nonnulla sed unumquodque, quod ad-

huc existimatum est ante exsilium compositum esse, hoc modo post exsilium ortum demonstrari potest.*)

Perversa aperte est argumentatio, quae talibus tabellis nititur, quae duas res plane omisit, primum quaestionem, utrum usurpatio vocis, quae uno loco vel perpaucis (cf. Jud. 5 — Prov. — Cant.) invenitur, aliis locis omnino postulari vel exspectari possit, an fortuito e materia, de qua agunt poetae vel scriptores, alii ea sint usi alii non sint. Deinde Giesebr. memoria non tenuisse videtur, alium esse sermonem poeticum alium solutum. Quod variis e causis est adductum. Etenim parallelismi, qui dicitur, legibus poeta hebraicus est coactus, vocibus compluribus idem significantibus uti, quia vero saepe sermo cotidianus non tales praebet, poeta vel vocabula antiqua adhibet vel nova fingit, saepe praeterea rhythmo cogitur, vel brevioribus vocibus vel omnino aliter formatis uti atque lingua soluta. Quare fit, ut et formae antiquae, quibus oratio vulgaris non utitur, in arte poetica prorsus vigeant, et in

---

*) Incipiamus a Deuteronomii capite 32: Voces singulares, quibus huius poeta usus est, additis locis iis, quibus praeterea in vetere testamento eaedem inveniuntur, hae sunt: לֶקַח Prov. Job., antea uno loco Jes. 29,24. פְּתַלְתֹּל *ἀπ. λεγ* aram. רחף solum in Eloh. libro Gen. 1,2. כָּשָׂה *ἀπ. λεγ.* תַּהְפֻּכָה Prov. מְזֵי"' *ἀπ. λεγ.* רֶשֶׁף Hab. 3,4. Cant. 8,6. Job. Ps. חֲדָרִים Prov. Job. Ezech. 8,12. Eccles. 10,20. Jes. 26,20. Cant. 1,4. 1 Chron. 8,11. פְּאָה *ἀπ. λεγ.* כָּמֻס *ἀπ. λεγ.* עֲתִידָה Job. Esth., antea solum Jes. 10,13. אָזַל 1 Sam. 9,7. Job. Prov. Jer. 3,26. Ez. 27,19 aram. Deut. 33: *ἀπ. λεγ.* חָבַב (aram.), תֻּכָּה, חֹפֵף (aram.), זִנֵּק, מֶגֶד, שָׂפַן, קְטוֹרָה, שֶׁפַע, רֹבֶא, מִנְעָל, גֶּרֶשׁ, דֹּבְרָה solum: Cant. 4,13,16. 7,14 (aram.), ערף solum: Deut. 32,2. דָּת: Esth. 18 × Esra 8,36. Dan. (aram). In carminibus ergo his, quae Kamphausen, Bleek, Schrader, Kuenen etc. sine dubio ante exsilium orta esse censent, multo plura inveniuntur *ἅπαξ λεγόμενα*, ut Graeca voce utamur, multo plures aramaismi, qui dicuntur, multo plures voces, quibus veteris testamenti scriptores extra illa carmina nisi post exsilium non sunt usi, quam in multis psalmis, quod, si Giesebrechtii tabellas perlustraveris, facile intelleges. Confer praeterea Num. 24: שְׁתֻם: *ἀπ. λεγ.* דְּלִי solum Jes. 40,15 (aram.) יְרֵשָׁה *ἀπ. λεγ.* Gen. 49: שְׂאֵת solum in libro Eloh. יגד: Jes. 14,20. Ps. 86,11 (aram.) יקהה solum Prov. 30,17. סוּת *ἀπ. λεγ.* חַכְלִיל *ἀπ. λεγ.* מַעֲדַנִּים 1 Sam. 15,32. Prov. Threni 4,5. Jer. 51,34. פֹּרָת *ἀπ. λεγ.* (פֹּרִיָּה: Ps. 128,3. Jes. 17,6. 32,12. Ez. 19,10). 2 Sam. 23,1—7: נָעִים: Ps. Prov. Job. Cant. 1,16. מִלָּה Job. Prov. Ps. 19. דֶּשֶׁא cf. Giesebr. 1 Sam. 2,8. אַשְׁפּוֹת praeter ps. 113,7 (ubi illinc repetita est) solum Neh. 2,13. 3.14. 12,31. Praetermittimus Deborae carmen, Jud. 5, quia dicere quispiam potest: at est carmen sermone regionum septentrionalium conscriptum, quamquam illud quoque argumenta varia affert, cf. imprimis הִתְנַדֵּב solum 1 Chron. 29,5. 2 Chron. 17,16. Esra 1,6. 2,6,8. 3,5. Neh. 11,2. מְרוֹרִים, Prov. Job. Ps. Eccles., רַקָּה Cant. 4,3. 6,7. Jud. 4,21 sq. etc. 4 *ἀπ. λεγόμενα* etc.

vocibus formandis lingua poetarum sermoni cotidiano praecurrat. Quae omnia et de aliorum populorum sermone et inter linguae hebraicae grammaticos jamdudum constabat, neque quis adhuc carmen aliquod, quia vocibus, quae vel solum in libris recentissimis vel nullo alio loco inveniuntur, statim temporibus recentissimis attribuit. Giesebr. vero, omnibus illis omissis in lingua psalmorum perlustranda tamquam librum historicum examinans egit.

Accedit alia res, quae nos impedit, quominus rationem, qua argumentatus est ille, adhibeamus. Jam alio loco (cf. dissert. nostr.: d. verbal-nominale Doppelnat. d. hebr. Part. etc. p. 68) demonstravimus, non esse neglegendum ab iis, qui in linguae hebraicae historiam eruendam incumbant, quod illa e Semiticae linguae genere universo orta ab hoc se separarit, post saecula nonnulla cum Aramaica lingua, quae varia propria a sermone Hebraico sublata ex antiquis conservaverat, e populorum contagione se commiscuerit. Quorum nonnulla lingua hebraica denuo recepit, qua re factum est, ut eadem sermonis propria, voces, formas etc. inveniamus et in veterrimis et in recentissimis veteris testamenti libris, qui nobis sunt traditi. Quia vero a sermone poetico varia talia propria per omnia tempora sunt conservata, rationem illam disquirendi de origine psalmorum a Giesebrechtio tentatam rejiciendam neque prorsus adhibendam esse decernimus (cf. Böttcher, E. Meier: l. c. p. 21. Ewald: Dicht. d. A. B. p. 206—9, Bleek-Wellh. Einleit.[5] p. 454 sq. Ryssel l. c. p. 18 etc. De Lagarde: Die im Aramaeischen etc. übl. Formen d. Nominalbild. p. 147 sq. adn. 183).

2. Ut, quae diximus generatim, separatim quoque exponamus de libri I. psalmorum sermone et simul argumenta a Giesebrechtio allata, quae ad hos pertinent, refutemus, duae res hoc loco nobis sunt tractandae, primum voces, quibus nisi psalmorum poetae nulli scriptores hebraici usi sunt, deinde eae, quae extra psalmos raro vel in libris solum post exsilium conscriptis inveniuntur.

a) Ac primum quidem ab iis, qui voces eas, quae solum in psalmis inveniuntur, tractare volunt subtiliter, hae leges sunt observandae: α) Vox, qua poeta hebraicus uno loco usus est, non putari potest e contagione et commercio cum Aramaeis orta esse, nisi est derivata e radice, quae in lingua hebraica non invenitur, invenitur vero in aramaica, β) si radix quidem invenitur in libris sermone hebraico conscriptis, vox tamen formata est ratione aliqua, quae in sermone hebraico non est usitata, usitata vero in aramaico. Jam vero quia semper disquirendum est, utrum sermo

hebraicus aliis rem eandem significantibus vocibus aliis locis usus sit an rei ipsius significatae omnino in reliquis veteris testamenti libris mentio non facta sit, non minus, an aliae praeter aramaicam linguae semiticae radices illas vel formationes praebeant, longum est, si de unaquaque voce hanc disquisitionem hoc loco subtiliter tractare volumus. Satis erit, si brevi *ἅπαξ λεγόμενα*, quae inveniuntur in primo libro, enumerabimus judiciumque nostrum de iis pronuntiabimus. Atque sunt haec:

אֱיָלוּת 22,21. אֲרֶשֶׁת 21,3. בָּלַם 32,9. גֵּהַ 22,10. הֲגִיג 5,2. 39,4. זֻלּוּת 12,9. חָדָה 21,7. חָרַג 18,46. חֶרְבוֹן 32,4. חֵלְכָה 10,8,14. חָטַף (Jud. 21,21.) לְשַׁד 32,4. מַלְקֹחַ 22,16. מַחְסוֹם 39,2. מַקְהֵלִים 26,12. מִשְׁאָלָה 20,6. 37,4. נֵכֶה 35,15. עֲלִיל 12,7. עֱנוּת 22,25. פָּסַם 12,2. פִּקּוּד 19,7. (cf. pst. alios) קַרְסֹל 18,37. רָגַשׁ 2,1. רָנִּים 32,7. רִגְעִים 35,20. רְכָסִים 31,21. שָׁפַר 16,6. שַׁלְוִ 30,7. תִּגְרָה 39,11. Quarum vocum has fortasse e lingua aramaica in hebraicam fluxisse censemus: אֲרֶשֶׁת, בָּלַם, חָדָה, חָרַג, חֵלְכָה, תִּגְרָה. Si vero cum numero harum comparatur numerus earum, quae inveniuntur in carminibus aliis ante exsilium compositis (cf. supra), ut praetermittamus Deuteronomii, Jeremiae aramaismos (cf. Zimmer: aramaismi Jeremiani), nequaquam quis concludet, hac de causa psalmos illos esse post exsilium conscriptos.

b) Transeamus ad alterum vocum genus idque gravius — etenim, si hoc perlustramus, in vetere testamento ipso normam quandam habere videmur, e qua concludere possumus, quando carmina sint composita, — vocabulaque illa examinemus, quae extra psalmos nisi in libris postrema linguae hebraicae aetate conscriptis non inveniuntur. Jam supra diximus, Giesebrechtium omisisse et neglexisse, quod aliis ubique vocibus uti soleat sermo poeticus, aliis solutus. Cui duas res addere volumus, antequam psalmorum l. I. sermonem examinare incipiamus, primum, prophetarum sermonem in medio situm esse inter poeticum et solutum (cf. Ehrt.: Versuch einer Darstell. d. hebr. Poesie p. 30), prophetae enim appetunt persaepe eadem ratione atque poetae parallelismum membrorum, qui dicitur, orationemque elatam. (Quamquam inter eos gradus sunt distinguendi, Deuterojesaiae universus fere liber continet orationem poeticam, aliorum prophetarum libri magis ad solutam inclinant.) Deinde non negatur, sermonem communem saeculorum postremorum, quia scriptores jam tractabant studiose libros temporibus prioribus conscriptos, inter quos erant poetarum quoque opera, interdum vocibus poeticis usum esse, quibus prior sermo solutus nondum utebatur. Ergo distinguen-

dum est inter aetates singulas, quibus libri sint conscripti, neque si exempli causa vox adhibetur a Chronista, a scriptore autem librorum Samuelis nondum, jam comprobatum est, poetas huic aequales iis nondum uti potuisse.

Quibus praemissis incipiamus ab exemplis vocum quarundam, quibus Giesebrecht argumentorum vim attribuit: מוט extra psalterium invenitur Deut. 32,35. Lev. 25,35 (P. c.). Jes. 24,19. Deutjes. 4 ×. Prov. 4 ×. Job. 1 ×. 1 Chron. 1 ×. Vocem esse aramaismum, qui dicitur, G. ne ipse quidem pro certo habet (p. 284). Tamen affirmat, Hoseam et Jesaiam voce כָּשַׁל uti, ergo Israelitas voce מוט aetate demum posteriore usos esse. Utinam G. perlustrasset libros recentissimos vetere testamento traditos, ubique invenisset vocem כָּשַׁל (Chron. Dan.), מוט solum uno loco: 1 Chron. 16,30. Quod caput continet carmen. Quid ergo? num est vox sero orta? Immo poetica, omnes enim loci, quibus invenitur, sermonem poeticum redolent. (De sacerdotum codicis oratione cf. Giesebr. ipsum). מִלָּה invenitur, psalmis exceptis, in libro Jobi 25 ×. Prov. 2 Sam. 23,2 (carmen). Num unus locus demonstrari potest, quo ea post exsilium sermo solutus usus sit? Minime, est ergo vox poetica pro voce דָּבָר, quae a sermone cotidiano adhibetur, usurpata. הַוָּה invenitur extra psalterium: Prov. 4 ×. Job. 3 ×. Mich. 7,3. (precatio), צָמַת Job. 2 ×. דָּחָה Prov. Jer. 23,12. נָחַת denique nequaquam esse vocem, qua nisi aetate postrema Hebraei non usi sint, jam e Giesebrechtii tabellis intellegere potes; id esse vocabulum poetis usitatum pro voce sermonis cotidiani יָרַד, jam recte dixit Gesenius in Thesauro.

Ut vero progrediamur ad voces omnes, quae inveniuntur in primo libro psalmorum, examinandas primum eas afferemus, quae nobis uno alterove certo testimonio ante exsilium usurpatae sunt traditae, tamen extra libros sermone poetico conscriptos non inveniuntur. E quibus deinde concludere possumus, aliis, quae non testimoniis certis jam tum usitatae nobis sunt traditae, tamen item nisi in libris poeticis non inveniuntur, Israelitas eadem ratione jam ante exsilium usos esse et fortuito extra libros, de quorum originis tempore homines docti dissentiunt (Psalmos, Proverbia, Jobi librum) eas nobis non esse conservatas.

α) Hae voces e psalmorum libro I. collectae extra psalterium inveniuntur: *)

*) Quo magis eluceat, assentiendum esse opinioni nostrae de vocibus, quibus psalmorum poetae usi sunt, ne eas quidem hoc loco afferemus, quae in Jeremiae quoque libro, antea vero pro certo nondum inveniuntur; quam-

אֱמוּנִים Deut. 32. Prov. Jes. 26. 2 Sam. 20,19 (oratio elata).
אֵיד Deut. 32. Ob. 1,13. Jer. Job. Prov. Ez. 35,5.
אִישׁוֹן Deut. 32. Prov. בָּלַג Amos 5,9. Job.
בֹּר Jes. 1,25. Job. גֵּאוּת Jes. 9,17, 12,5. 26,10. 28,1,3.
גַּאֲוָה Jes. 9,8. 13,3,11. 16,6. 25,11. 48,29. Deut. 33. Zeph. Prov.
דֶּשֶׁא Jes. Jer. Deutjes. Prov. Job. 2 Sam. 23,4 (carmen) 2 Reg. 19,26 (oratio prophetae).
הֶבֶל Jes. 10,15. 30,7. Job. Prov. Eccl. Jer. Deut. 32. Sach. 1 Reg. 16,13,26 (oratio prophetae).
הָגָה Jes. Jer. Ez. Deutjes. Prov. Jos. 1,8 (deuteron.).
זָמַר Jud. 5. Jes. 5,6. 12,5. 1 Chron. 16,9 (carmen) (Lev. 25,3,4. aliud significans).
זָעַם Num. 23,7 (carmen). Micha. Deutjes. Prov. Mal. Sach. Dan.
חַמָּה Jes. 30,26. 24,23. Job. Cant.
חול Deut. 32. Jer. Esth. Deutjes. Job. Prov. יָפִיחַ Hab. 2,3. Prov.
יְשָׁרִים Prov. Job. Num. 23,10 (carmen). Neh. 9,13 (precatio). Dan. 11,7. Hos. 14,10 (praeterea 2 Chron. 29,34).
יֶשַׁע Hab. 3. Micha 7. Jes. 17,10. Deutjes. 2 Sam. 23. 1 Chron. 16,35 (carmina).
יְשׁוּעָה Jes. 12,3. 25,7. Deutjes. Exod. 15 (carmen). Jona 2, 1 Sam. 2 (carmina). Gen. 49,18. Deut. 32,1. 1 Chron. 16,33. 2 Chron. 20,7 (carmina) (praeterea Ex. 14,13).
לְאֻמִּים Hab. 2,13, Deutjes. Prov. Gen. 25,23, 27,29 (carmina).
מְרֵעִים Jes. 1,4. 31,2. 14,20. Jer. Prov.
נָעִים 2 Sam. 1,23. 23,1 (carmina). Job. Prov. Cant.
נֵד Jes. 17,11. Ex. 15 (in sermone soluto: 14,22. חוֹמָה) (praeterea Jos. 3,13,16).
עֲדָנִים 2 Sam. 1,24 (carmen), עִקֵּשׁ Deut. 32. Prov.
עָתָק 1 Sam. 2,3 (carmen), פָּתַל Job. Prov. Gen. 30,8 (carmen).
צַלְמָוֶת Am. 5,8. Jes. 9. Job. Jer.
רָנַן Hif.: Deut. 32,1; alias Zeph. 3,14. Jes. 12,6. Deutjes. Jer. Threni. Sach. 1 Chron. 16,33 (carmen) (praetera Lev. 9,24. P. c.).
שְׁחָקִים Deut. 33. Deutjes. Job. Prov. רַהַב. Jes. 30,7. 51,9, Job.
תֵּבֵל Jes. 13,11. 14,17,21. 18,3. 24,4. 26,9,18. 27,6. 34,1. Nah. 1,5. Jer. Job. Prov. Threni. 1 Sam. 2,8 (carmen).
תִּקְוָה Hos. 2,17. Job. Prov. Ruth. Jer. Thren. Sach.
רָזַן Jud. 5,3. Prov. Deutjes. רַעַד Ex. 15,15.

---

quam etiam iis niti possumus, quia prophetae illius testimonio jam ante exsilium eas sermone elato usurpatas esse demonstratur, tamen eas in altera demum parte (sub β) afferemus.

β) hae voces e psalmorum libro I. allatae extra psalterium inveniuntur:

אֶלַח Job. אָפַף Jona 2,6.
אָשׁוּר Job. Prov. Ez. גָּעַשׁ Job. Jer.
הַדְרַת" Prov. 1 Chron. 16,29 (carmen).
הִגָּיוֹן Threni 3,62. חָרַק Threni. Job.
זֵד Jer. Jes. 13,11. Prov. Mal. זִלְעָפָה Threni 5,10.
זָקַק (tropice) Job. Mal. חֶלֶד Job.
חָוָה Job. חֲמוּד Job. Deutjes.
כְּלִמָּה Jer. Ez. כֶּסֶל Job. Prov. Eccl.
מַעְגָּל (tropice) Prov. Jes. 26,7. 59,8. מְזִמָּה Jer. Prov.
מֵישָׁרִים Prov. Cant. Deutjes. Dan. 1 Chron. 29,17 (carmen).
מַכְאוֹב Jer. Thren. Deutjes. Eccl. 2 Chron. 6,29 (carmen). (praeterea Ex. 3,7).
מְצוּקָה Zeph. Job. מָעַד Prov.
מִתְקוֹמֵם Job. נָבַע Prov. Eccl.
נֹפֶת Prov. Cant. נָעֵם Prov. Sach.
עִזּוּז Deutjes. (עָזַז Jes. 30,2. 33,19. Prov. Dan.)
עַפְעַפַּיִם Jer. Job. Prov. (פִּקּוּד solum in psalterio).
פֶּתִי Prov. Ez.
צְדָקוֹת Jer. 26. 33,2. Deutjes. Ez. Jer. Dan.
קָרַץ Jer. Job. Prov. רָגַע Jer. Thren. Deutjes.
(רְוָיָה solum in psalterio). שַׁחַת Jer. Job. Ez. Jon.
שָׁפַת Ez. 24,3. Jes. 26,12 (f. Jud. 5,10).
תַּחֲנוּנִים Jer. Job. Prov. Sach. Dan. 2 Chron. 6,2 (carmen).

Ut omittamus voces alias, quae vel non inveniuntur extra psalterium in libris certe ante exsilium conscriptis, quia aliis locis non de rebus, quas significant, agitur cf. זִמָּה, רָקִיעַ, תּוֹשָׁב etc. (Driver l. c.), vel alias, quibus Israelitas jam ante exsilium usos esse, quisque concludere potest cf. אֲנָקָה, אֲהָהּ, intelleximus, tantum abesse, ut unam vocum illarum sermone cotidiano non usurpatarum certe demum in exsilio vel post exsilium formatam esse demonstrari possit, ut omnibus poetae jam diu ante exsilium usi esse videantur. Perversa igitur est sententia illorum, qui censent, hac ratione comprobari posse, psalmos, qui inveniuntur in libro I; post exsilium esse compositos, qui error non solum Giesebrechtio, sed etiam aliis (cf. Stade Z. A. W. 1884 p. 256 sq.) crimini est dandus.

Addamus denique, si quidem quis e collectione tali, qualem fecimus, concludere aliquid vult, quod concedi posse negamus, ne illum quidem hac ratione esse comprabaturum, carmina, quae

continentur libro I., post exsilium esse orta, immo, si praetermittimus psalmorum sermonis cognationem cum Jobi libro et Proverbiis, maximam inveniet similitudinem cum vocibus iis, quibus Deuteronomium, Jeremia, Deuterojesaia, Ezechiel usi sunt, ergo illos compositos esse postremis annis ante exsilium vel in exsilio concludet (cf. tabellas α et β). Quae cognatio re vera non, quia libri compositi sunt eodem tempore, sed et rerum, de quibus in libris agitur, affinitate, et rationis, qua agitur, similitudine effecta est. Etenim etiamsi Deuteronomium, Jeremiae, Ezechielis orationes minus, tamen hae quoque variis locis, Jobi vero liber, Proverbia, Jeremiae precationes, Deuterojesaiae liber ubique sermonem poetarum elatum redolent. Ex universa ergo hac disceptatione nihil certi de psalmorum originis aetate concludi potest.

II. Sequitur, ut psalmorum libri I. res grammaticas perscrutemur, et leges formationis nominum, pronominum, verborum et leges orationis vinciendae. Atque, ut primum perlustremns pronomina, quae in psalmis inveniuntur fieri potest, ut serae originis psalmorum vindex afferre velit vel pronomen זוּ ps. 12,8. 17,9. 32,8 etc., quod tamen formam esse, qua poetae usi sint antiquitus, his locis demonstratur: Exod. 15,13,16 (cf. Böttcher: ausführl. Lehrb. d. hebr. Spr. § 897,4), vel pronomen suffixum מוֹ —, e quo ad ps. 83. Giesebrecht repetiit argumentum (p. 312) cf. ps. 17,10. 21,11. 22,5. 35,16 etc., quod tamen refutatur his locis: Exod. 15,10,12,15. Deut. 32,22,32,37. 33,29 etc. (Böttcher l. c. § 873). (De pronominibus אֲנִי et אָנֹכִי infra separatim disputabimus.) De forma 3. plur. masc. impf. littera ן finita cf. ps. 11,2. 12,9. 36,8,9. 39,7 etc. confer Amos 6,12. Deut. 33,11 etc. (Böttcher l. c. § 359).

Ut ad nominum formationem transeamus, nixus est Giesebrecht voce עֶזְרָת, e voce עֶזְרָתָה abbreviata, qua solum temporibus recentissimis Israelitas usos esse censet (cf. ad ps. 60). Quam in primo quoque psalmorum libro interdum invenimus cf. יְשׁוּעָתָה 3,3 etc.

---

*) Ne e voce בַּר quidem ps. 2,12, ubi praeterea de textu dubitatur, et גָּמַר 7,10. 10,12 etc. aliquid de psalmorum originis tempore concludi posse, constat. De voce enim illa confer Bertheau: kurzgef. exeget. Handb. ad Prov. 31,2 etc. Quia autem haec nisi in psalmis non invenitur, numquam extra psalterium in libris post exsilium conscriptis, elucet, eam esse vocem poeticam pro vulgari תָּמַם usurpatam, qua jam ante exsilium poetae utebantur. Quod confirmatur nominibus Israelitarum quorundam ante exsilium viventium, in quibus illa invenitur cf. Jer. 29,3. 36,10 גְּמַרְיָהוּ, Hos. 1,3, qua re Grätzii sententia, qui omnes psalmos voce hac usos exsilio attribuit, refutatur.

Eam vero esse formam antiquam, in sermone poetico conservatam, comprobatur et nominibus locorum veteribus cf. אֶפְרָת Gen. 48,7. Jos. 19,44 etc. et vocibus אֵימָתָה Exod. 15,16, סוּפָתָה Hos. 8,7 etc. Vox נַחֲלָת ps. 16,7 est abbreviata e נַחֲלָתִי (cf. Exod. 15,2. Jes. 12,2), non magis מְנָת ps. 11,7. 16,5 cf. Jer. 13,25 (orta e מְנַיַת) huc est referenda, recte autem Olshausen (Lehrb. d. hebr. Spr. § 145) judicat, in illa quoque litteram ת e temporibus antiquis esse conservatam, esse archaismum, qui dicitur.

Psalmorum poetae interdum usurparunt verborum formam tert. pers. plur., litera י — inserta formis cotidianis cf. יֶחֱסָיוּן ps. 36,8,9. 39,7 etc. Quam nisi post exsilium non esse formatam, iterum negamus, quia similes formae inveniuntur Deut. 32,37, חָסָיוּ, Num. 24,6. Jes. 21,4. Job. 12,8 etc.; qua e re elucet, has formas a poetis omnibus temporibus esse usurpatas rhytmique causa littera illa productas. (Recte Böttcher § 465, Olsh. p. 480.) Quae quia hîc constant, eadem concludimus de contractione vel syncopa intermissa in formis אֲהוֹדֶנּוּ 28,7. בְּהַשָּׁמַיִם 36,6, quas recte appellavit Delitzsch „feierlicher“ (cf. ad ps. 28), Böttcher „Rhythmen füllend“ (cf. ad ps. 36; Giesebrechtii explicationem p. 312 sq. silentio praetermittimus.)

Quid vero dicamus de sermonis amplitudine, copia imprimis pronominum in psalmis multis adhibita? cf. אֲנִי שָׁכַבְתִּי, 9,7. 16,14. הָיִיתִי עֹזֵר 16,3. 30,8,11. 31,6. פָּדִיתָ אֹתִי 31,7. הַשֹּׁמְרִים הַבְלֵי (cf. 25,3) 34,9. 35,8. בַּשֹּׁאָה יִפָּל בָּהּ 35,16. E quibus nihil concludi potest, quia elucet, alias constructiones esse artis poeticae, alias orationis solutae. Quicumque carmina alia perlustrabit, multo plus vel orationis amplificationum vel brevitatum inveniet quam in psalmis cf. Deut. 33,8,11 etc. Jam, quo jure Stade (ad Jes. 32. Z. A. W. 1884 p. 256 sq.) affirmaverit: מִי יָגוּר לָנוּ אֵשׁ אוֹכֵלָה esse constructionnem recentissimis solum temporibus ab Hebraeis adhibitam, nisus psalmorum 5,5. 15,1. 120,5 argumento, ubi item invenitur גוּר c. Accus., non intellegimus. Etenim eadem inveniuntur in antiquissimo litterarum Israeliticarum monumento Jud. 5,17, ea certe de causa, quod constructio praepositione בְּ facta, nimis est copiosa, quam ut, ubicumque vitari potest, adhibeatur (cf. Gen. 4,20. Gesen.-K.[25] p. 356 adn. c.). Item judicandum nobis est de vocibus הֹלֵךְ תָּמִים ps. 15,2, similibus (si quidem hoc loco תָּמִים pro appellatione usurpata existimanda est, alia ratione locum interpretatur Gesen.-K. p. 354 adn.). Stade quidem iterum censet, voces הֹלֵךְ צְדָקוֹת Jes. 33,15, similes esse indicia, capita illa post Jesaiae tempora esse conscripta, prioribus temporibus positam esse praepositionem בְּ.

Tamen jam Micha dixit 2,3: לֹא תֵלְכוּ רוֹמָה (cf. Jud. 5,2. Gesen.-K. p. 362.) Num praeterea opus est in memoriam revocemus, poetas persaepe, ubi volebant breviter aliquid pronuntiare, praepositiones intermisisse, quare invenis in poetarum libris participia statu constructo nomina sibi adjungentia, ubi sermo solutus utitur praepositionibus etc.

[Disputatio separata de ratione, qua psalmorum poetae pronominibus אָנֹכִי et אֲנִי usi sint. Giesebrechtium censuisse, libros eos, in quibus inveniatur forma אֲנִי usurpata persaepe, sero esse conscriptos, veteres autem scriptores omnes fere forma אָנֹכִי usos esse, quis est, qui nesciat? (cf. l. c. p. 251—58). Cui si assentiendum esset, inde cogeremur concludere, psalmos post exsilium Babylonicum esse compositos, nam etiam in primo libro אָנֹכִי non invenitur nisi in ps. 22,7. 39,13, aliis locis ubique אֲנִי. Tamen contra illam Giesebrechtii sententiam jam Driver (l. c. p. 221—27) affirmavit, plerumque non origine seu priore seu posteriore librorum singulorum esse adductum, ut forma utraque tum saepius tum rarius scriptores usi sint, sed linguae legibus, e quibus tum אֲנִי tum אָנֹכִי sit adhibita. Atque etiamsi multum abest, ut plane Giesebrechtii sententias refellerit, — nam tam mirabilia primo respectu argumenta, ut ipsius opinio vera esse videatur, hic in tabellis attulit —, tamen constat, Driverium recte significasse, unde disquisitio proficisci debeat, ut cognoscantur leges, quas vocibus illis usi et scriptores et poetae sint secuti, et argumenta varia ad Giesebrechtii sententiam refutandam collegisse. Nobis quidem etsi non licet, accuratius hoc loco de ea re disputare, tamen pauca addere volumus, quae Driverii sententiam confirmantia demonstrant vanum esse, inde de origine librorum veteris testamenti argumenta repetere.

Praemittimus, si Giesebrechtii sententiae supra expositae esset assentiendum, non fore, ut congruerent numeri ab eo collecti cum eo, quod de originis aetate librorum quorundam inter omnes fere homines doctos constat (cf. in Jobi libro 14 × אָנֹכִי, Ruth 7 ×, ps. 119 3 ×, in carmine vero multo ante conscripto Deut. 32: 5 × אֲנִי, 1 × אָנֹכִי, item confer tabellam de Deuterojesaiae dicendi genere). Praeterea in memoriam revocamus, e linguis semiticis inter se comparatis recte concludi, formam antiquiorem esse אֲנִי (cf. arab. äth.: ana, syr.: ĕna), e qua אָנֹכִי sit derivata et producta. Certe ergo forma אֲנִי jam antiquitus in hebraica lingua existebat. Vere autem non origine librorum vel prius vel posterius facta usum vel אָנֹכִי vel אֲנִי formarum esse adductum, sed causas esse alias, hoc

modo demonstrandum est. E formis ipsis elucet, illam esse graviorem quam hanc; quae gravitas pertinere potest et ad rem, de qua agitur, et ad rationem, qua agitur.

Ac primum quidem Hebraeos אָנֹכִי forma gravi usos semper esse in oratione gravi, Deuteronomio comprobatur, quo imprimis se niti posse existimabat Giesebrecht, quo vero universa eius conjectura refutatur. Etenim uno eo loco (quem Giesebr. omisit), quo non Deus ipse vel legislator graviter loquuntur, sed populus, invenitur אֲנִי 12,30, aliis semper אָנֹכִי. Quod confirmatur libro Jobi. Locis enim omnibus, quibus vel Job vel homines alii aut loquuntur sermone simplici neque elato aut queruntur, utuntur forma, quae indicat animum loquentis modestum vel demissum, אֲנִי cf. 1,15 sq. 5,3,8. 7,11. 13,2. 19,25,27. 32,10,17. 40,13 etc. Ubi vero loquitur vel Deus graviter, vel Job, non tamen conquerens, sed pietatis, justitiae suae sibi conscius, se extollens contra Deum, amicos, calamitatem, invenitur אָנֹכִי cf. 9,14,29,35. 12,3. 13,2,22. 14,5. 16,4. 21,2,4. 29,16. 32,31. 42,4 (semper וְאָנֹכִי אֲדַבֵּר etc. Nihil ergo sermonis archaistici, ut conjecit Giesebr.). Prophetas igitur voce אָנֹכִי saepius usos esse, quam scriptores et poetas, e rei natura sequitur, quia in illorum libris semper fere vel ipse Deus loquitur vel vicarius eius.

Altera res, quae ab iis, qui subtiliter in hanc disquisitionem incumbere volunt, est respicienda, cum argumento hoc artissime cohaeret. Forma אָנֹכִי enim propter naturam gravem Hebraei saepius in enuntiatis nominalibus, quae sunt graviora quam verbalia, uti solent, אֲנִי autem in verbalibus (cf. Deuteronomium, quod universum fere versatur in enunciatis nominalibus). Atque in nominalibus rursus אָנֹכִי usurpatur imprimis, si graviter pronomen positum est ante praedicatum, si post, אֲנִי quoque adhibetur. Eadem de causa hanc formam adjungunt vocibus: אַף, גַּם, רַק, כִּי, אֲשֶׁר, הִנֵּה etc. tamquam encliticon, ut graeca voce utamur. Huc praeterea referenda est vocum illa conjunctio, quam invenimus persaepe: אֲנִי יהוה, ubi universa orationis vis ad יהוה vocem adhibetur. Qua e lege repetenda est causa usûs formae אֲנִי a scriptoribus nonnullis post exsilium facti, quo Giesebrechtii sententia imprimis confirmari videtur. Invenitur enim in libro Ecclesiastae אֲנִי 29 ×, אָנֹכִי numquam. Quae res primo aspectu admirabilis non alia de causa est facta nisi, quia, qui hunc librum conscripsit, ut coepit jam Chronistes, contra consuetudinem priorem in enunciato verbali persaepe subjectum extra verbum pronomine separato repetiit (cf. אֲנִי נָתַתִּי), quem ad usum supervacaneum אָנֹכִי

vox gravis adhiberi non poterat; eodem modo usus formae אֲנִי fit in libro Danielis, excepto 10,11, ubi rursus angelus loquitur graviter.

Quae omnia hoc loco attingere modo possumus. In disceptatione accurata et, quisnam loquatur voce אָנֹכִי vel אֲנִי, ubique est statuendum et rerum grammaticarum ratio est habenda. Qui hoc modo in disputationem illam incumbit, non dubitamus, quin, si memoria tenetur, quod de legibus talibus semper est tenendum, illarum quoque formarum usum interdum ad voluntatem fieri potuisse, non multos locos inveniat, quibus non e linguae legibus, quas scriptores observaverunt, usum vel אָנֹכִי vel אֲנִי formae declarare possit.

Quibus expositis psalmos perlustrantes sententiam nostram confirmatam habemus. Ubi poetae utuntur voce אָנֹכִי, vel Dei oratio est cf. 50,7. 81,11. 91,15. 46,11 vel homo dignitatis, pietatis etc. sibi conscius loquitur graviter, cf. 75,4. 104,33. 119,162. 141,10 vel pronomen est subjectum in enuntiatis nominalibus. cf. 22,7. 39,13. (repetitus 119,19.) 109,22. 119,41. Aliis vero locis, quibus omnibus fere homo precans, plerumque querens, demissus, miser ad Deum appropinquat, nullam esse occasionem oblatam formae gravis (אָנֹכִי) usurpandae nemo negabit. (Eadem de causa semper forma אֲנִי usurpatur in Threnis.) Qua ratione ubique causa, cur poetae vel אָנֹכִי vel אֲנִי forma usi sint, e singulis locis repetenda est. Quamquam igitur concedimus, quaestionem temporibus futuris subtiliter omnibus locis respectis esse tractandam et leges illas magis explicandas, sine dubio jam nunc constat, hac e re de originis aetate cum aliorum librorum tum psalmorum nequaquam argumenta afferri posse.]

Quae cum ita sint, persuasum nobis habemus, nihil obstare, ne propter sermonis indolem psalmos, qui inveniuntur in libro I., ante exsilium ortos esse censeamus.

§ 13. Exponitur, cur verisimile non sit, psalmos, quos continet liber I., post exsilium esse compositos.

Quamquam disceptationem subtilem hac de re suscipere neque volumus neque possumus, quia e causis, quas supra commemoravimus, est difficillima, immo etiam effici non potest, paucis tamen argumentis e lingua repetitis conabimur ostendere, verisimile non esse, psalmos, de quibus disputamus, post exsilium esse compositos. Etenim psalmorum eorum, quos post exsilium conscriptos esse aliis

de causis constat, longe alium esse sermonem atque eorum, quos liber I continet, nemo negabit (cf. ps. 90—150; exceptis perpaucis). E Giesebrechtii dissertatione intellegi potest, in illis inveniri aramaismorum formarumque singularium multo plus quam in his. In memoriam revocamus, poetas illorum persaepe usos esse forma שֶׁ pro אֲשֶׁר. Constat quidem, poetas omnium aetatum forma illa uti potuisse (cf. Threni, Job), tamen usurpatio haec frequens, quaminvenimus in psalmorum libris recentissimis, recte semper, quia cumulata et arte facta est, testimonium existimata est, psalmos sero esse conscriptos. Sic quoque de לְ praepositione, qua in psalmis illis persaepe Accusativus significatur, judicari debet, quamquam illa item jam temporibus prioribus hoc modo usurpari poterat, quia usus is e lingua Semitica antiquissima est conservatus. Quid dicamus de suffixo secundae persona כִי, de Jod compaginis, quae dicitur, persaepe in psalmorum libro quarto et quinto adhibita, de nominis casu genitivo pronominibus anticipato, de נָא particula saepe usurpata? (cf. quoque אָנָּא ps. 116,4. 118,25. Neh. 1,5,11. Jon. 1,14. Dan. 9,4. Giesebr. p. 280—82, Delitzsch in comment.). Quibus omnibus de vocibus vel formis idem est judicandum neque est assentiendum illis, qui, ubi inveniunt eas, exclamant: ecce aramaismus, ergo liber vel carmen post exsilium conscriptum. Tamen, etsi omnibus illis jam ante exsilium poetae uti poterant, tam frequenter et aperte vi atque arte usurpatae indicant, carmina posteriore aetate esse composita, qua poetae orationem artificiose archaismis, qui dicuntur, ornabant. Omnes vero formas, quas supra commemoravimus, in primo psalmorum libro non invenis, voces, quae ex hoc afferuntur raro in vetere testamento usurpatae, nihil esse nisi poeticas ideoque extra psalterium non saepius inveniri, non esse aramaismos appellandas, supra intelleximus (cf. § 12). Si vero respicis res grammaticas, in sermone libri illius tam pauca reperias propria, quae sunt librorum recentissimorum, ut a Jesaia psalmos conscriptos esse putare possis.

At causa huius ipsius sermonis puri ea e re est repetenda, quod poetae cecinerunt sermonem aetatis prioris imitati, est ergo indicium, psalmos inferiore aetate esse conscriptos. Quam ad altercationem haec respondemus. Si conferimus libros Esrae, Nehemiae, Chronicorum cum libro Danielis et Esther, negari quidem non potest, illos praebere aramaismos in unoquoque fere enunciato, hos vero orationis vetustae exemplo assumpto, tot et tam insignibus aramaismis vacare. Tamen semper in iis quoque inveniuntur voces tam propriae, quae non solum comprobant, eo

tempore, quo ii conscribebantur, nonnullas voces e lingua aramaica in hebraicam fluxisse, sed etiam universum scriptorum sermonem jam fere e lingua aramaica in hebraicam esse translatum (cf. עָמַד: Ryssel l. c. p. 32. Dan. 1,4,8,16. 2,1,2. 8,2,22. 10,17. 11,1,18,23,33. 12,1 etc.). Quid vero dicamus de Ecclesiastae libro? In quo certe septuaginta voces inveniuntur, quae nullo alio loco a sermone hebraico sunt usurpatae — immo aliis vocibus pro iis usus est —, usurpantur vero in lingua mischnica (cf. Delitzsch: Bibl. Comment. p. 197 sq.). Qui omnes libri ab hominibus doctis sunt conscripti, qui cum litteras antiquas tractavissent, facile sermonem antiquum imitari poterant. Jam vero omnes, qui psalmos post exsilium compositos esse censent, in eo cum Smendio consentiant oportet, quod putant illos Dei cultus causa compositos et media ex ecclesia ortos esse, compositos enim a cantoribus templi, qui non tantopere ut homines illi docti in studium litterarum antiquarum incumbebant. Recte vero jam Herzfeld conclusit, exeunte aetate persica et graeca sermonem cotidianum vulgi multo magis fuisse cum lingua aramaica mixtum quam eum, quo usi sint omnium librorum illorum scriptores.

Olshausen quidem hoc argumentum sententiae suae de origine psalmorum repugnare non negavit. Tamen affirmavit: „Es muss nicht allein geistig höher begabte Männer gegeben haben, die an der Reinheit der alten Sprache festhielten, sondern es kann auch vernünftigerweise gar nicht bezweifelt werden, dass das gesammte Volk diese seine alte und heilige Sprache nach wie vor vollkommen verstand, und wenn man meint, zur Zeit der Abfassung des Buches Daniel habe das Hebräische überhaupt nur noch als eine gelehrte Sprache existiert, so denkt man sich die Veränderung in den sprachlichen Verhältnissen des heil. Landes nicht nur ganz anders, als wie es die Bestimmung jenes Buches selbst gestattet, sondern auch völlig naturwidrig“ (l. c. p. 9). Ad quod haec respondemus. Primum hoc loco non agitur de eo, utrum populus linguam hebraicam tum percipere potuerit necne, sed, utrum medio e vulgo (non a legis peritis, sacerdotibus etc.) carmina oriri potuerint, quae omnia fere non eum sermonem, quo conscripti sunt Esrae, Danielis, ceteri libri, sed eum, quo prophetae ante exsilium usi sunt, ostendunt. Deinde libri Danielis mentione nihil comprobatur, quia hic liber lingua ipsa hebraica adhibita antiquitatis suae testimonium praebere volebat; itaque, qualis ipsius aetate sermo cotidianus fuerit, nequaquam demonstrat. Ceterum eius quoque sermonem Aramaeorum loquendi usum redolere, jam supra diximus. Quod quidem non fit in uno capite 9, precatione, et quia idem fit in precationibus

Esrae (c. 9) et Nehemiae (c. 9, cf. 2 Chron. 6 etc.), fortasse quispiam dixerit, in talibus omnino linguam antiquam magis esse conservatam. Sed elucet, his e precationibus hominum, qui omnes litteras antiquas penitus tractaverant, qui ad historiam respicientes de casibus fortunisque populi vocibus in libris antiquis historicis vel thora adhibitis loquuntur, nequaquam quid de psalmis, qualis indoles sermonis eorum, si tum conscripti essent, futura fuerit, concludi posse. (Eam ob rem in psalmis quoque ad historiam sacram respicientibus, qui post exsilium sunt compositi, multo minus aramaismorum invenis quam in aliis, cf. Giesebrecht ad ps. 105—7 etc.) Quod affirmavit Reuss: „auch mussten ja die älteren religiösen Gedichte, die gewiss vorhanden waren und von welchen die einen oder andern in unserer Sammlung sich befinden, als Muster dienen" (cf. Gesch. etc. § 483), ex parte ei assentimur. Si multitudo carminum religiosorum jam existebat, alia horum exemplum imitantia componi poterant. Sed Reuss ipse concedet, septem octove, quos inter psalmos ante exsilium ortos censet, non satis fuisse, ut horum vi sermo carminum omnium fere post exsilium compositorum a sermone cotidiano multo distans formaretur; immo exstitisse jam corpus maius carminum antiquorum, cum populus e captivitate rediret, e sermonis discrimine illo concludamus necesse est. Quod denique dixit: „das deutsche protestantische Volk singt ohne Anstoss Kirchenlieder, die in einer Mundart geschrieben sind, welche es zu Hause nicht überall spricht," hoc facile nos concedimus; ergo concludimus, hebraica quoque carmina, sicut germanica, jam aetate priore composita esse.

Ne simus longi, afferamus ad extremum enuntiatum hominis linguae hebraicae praeter alios periti, Nöldekii, de Proverbiis: „An die Zeit nach der Zerstörung Jerusalems ist schon wegen der Vortrefflichkeit von Sprache und poetischem Stil gar nicht zu denken." (cf. d. altt. Litt. p. 159.) Proverbia vero eadem aetate atque psalmos plurimos, quos continet liber I, conscripta esse, jam levis sermonis comparatio demonstrat. Quamquam ergo hac sola e re nihil nos concludere velle supra diximus, tamen una cum aliis argumentis sermone quoque, quo psalmorum poetae usi sunt, judicium nostrum, ab iis ante exsilium carmina esse conscripta, confirmatur; certe ii, qui nostris diebus temere psalmos omnes post exsilium ortos esse judicant, levius hanc difficultatem explicandam evitant.

F. Disputatur de libri I psalmorum origine ratione habita repetitionum vel mutuationum inter eos librosque alios veteris testamenti invicem factarum.

§ 14. Demonstratur, psalmos esse compositos ante populi reditum e captivitate Babylonica.

Transeamus ad partem quartam disputationis de originis psalmorum aetate, dico disquisitionem, utrum psalmi vel mutuati sint vel repetierint seu voces seu enunciata ex aliis veteris testamenti libris an vice versa hi repetierint e psalmis nonnulla. Quam disceptationem esse difficillimam, interdum jam tentatam, tamen saepe ab adversariis eodem fere jure inversam, quis est, qui nesciat? Etiamsi ergo semper memoria tenebimus, ne ultra cognitionis fines progrediamur et interdum disputationem concludemus enuntiantes: „non liquet," tamen putamus, certius, quam adhuc existimaverunt homines docti, nos statuere posse hac ex argumentandi ratione, quando psalmi sint conscripti. Ac primum quidem demonstrabimus, psalmos esse compositos ante reditum populi e captivitate Babylonica, deinde, ante exsilium ipsum.

A libris recentissimis veteris testamenti, si in hanc disputationem incumbere volumus, nobis regrediendum est ad veteriores examinandos. a) Atque, ut praetereamus cognationem inter Neh. 5,19 et Ps. 25,7. 1 Chron. 29,15 et Ps. 39,39, proficiscimur a capite illo 1 Chron. 16. Carmen enim, quod hoc loco Chronistes Davidem canentem facit, compositum esse e partibus psalmorum 96. 105. 106, neque vice versa psalmos e Chronicorum capite esse repetitos, nostris diebus inter omnes fere homines doctos constat (cf. imprimis Bertheau, qui Hitzigii conjecturas vanas fuisse comprobavit i. kurzgef. exeget. Handb. Ehrt: Abfass.zeit etc. p. 42—51). Si vero Chronistes, quem imperii Graeci initiis (cca 300) scripsisse censemus, psalmos Davidi attribuit, elucet, eos certe annis nonnullis ante illum conscriptos esse.*)

---

*) Quod dixit Reuss (Gesch. § 464): „Und wenn Gelehrte auf 1 Chron. 16,36 aufmerksam machen, so entgegnen wir ganz einfach, dass die ganze Stelle 1 Chron. 16,8—36 eine junge Interpolation und v. 37 sich eng an v. 7 anschliesst, dass der Text die Psalmfragmente gar nicht als solche einführt, dass diese kein Wort enthalten, welches sich auf die vorher beschriebene Begebenheit bezöge," hac ratione quaestionem universam de suo loco movet. Etenim non de eo disputatur, utrum fuerit carmen aptum, quod ad

b) Argumentum illud confirmatur psalmis inter se comparatis, ac primum quidem iis perlustratis, quibuscum ps. 96 in psalterio, quale nobis est traditum, conjunctus est, psalmis dico 92—100. Et cognatione cum Jesaiae Babylonici libro et animo, quem prae se ferunt, laeto, audaci, pleno spei demonstratur, eos omnes compositos et cantatos esse initio aetatis, quae exsilium subsequebatur. Psalmum 96 vero non solum e Deuterojesaia, sed etiam e psalmo antiquiore et voces et sententias repetiisse, e psalmo 29, hac e comparatione elucet:

96,7 הָבוּ-הָבוּ, 8 הָבוּ, — 29,1 הָבוּ-הָבוּ, 2 הָבוּ.

96,6 שְׂאוּ-מִנְחָה וּבֹאוּ לְחַצְרוֹתָיו, 29,2 הִשְׁתַּחֲווּ ליהוה בְּהַדְרַת-קֹדֶשׁ (Chronistes 16,29 alterum cum altero conjunxit.)

96,10 אִמְרוּ בַגּוֹיִם יהוה מָלָךְ, 29,10 וַיֵּשֶׁב יהוה מֶלֶךְ לְעוֹלָם.

Aperte ps. 96 illum imitatur; adhortationes enim elatae, quibus in hymno 29 appellantur Dei filii (בְּנֵי אֵלִים), hoc loco paullum mutatae et minutae adhibentur, ut poeta populos externos affetur, quare ad sacrificia offerenda respicit. Psalmum 29 ergo esse prius conscriptum, non solum ab omnibus hominibus doctis conceditur, sed etiam inde elucet, quod ps. 96 enuntiatis e Deuterojesaiae libro mutuatis redundat, in psalmo 29 vero ea desiderantur. Etenim יהוה מלך (v. 10) non esse repetitum e Jes. 52,7, non necesse est comprobemus. Si ergo ps. 96 compositus est temporibus, quae exsilium subsequebantur, ps. 29 certe non post exsilium est conscriptus. Jam confer ps. 97,2 עָנָן וַעֲרָפֶל סְבִיבָיו cum. ps. 18,10 וַעֲרָפֶל תַּחַת רַגְלָיו, 12 סְבִיבָיו. Quia versus, qui in psalmo 97

occasionem a Chronista enarratam caneretur necne, — id non fuisse ad hanc ab initio compositum, omnes fere concedunt — sed, utrum Chronistes ipse Davidem hoc carmen occasione illa dicentem fecerit necne. Omnia reliqua argumenta, quibus Reuss nititur, talia sunt, quae quidem refutari non possunt neque vero quidquam comprobant. Atque quia dubium, quod attulit ille „dass sämmtliche hier citierte Psalmen anonym sind, was sie gewiss nicht geblieben wären, wenn zur Zeit, da die Überschriften gemacht wurden, man in der Chronik hätte lesen können, dass David oder Asaph sie gedichtet haben," ea re tollitur, quod e contrario concludi debet, inscriptiones jam ante Chronistae tempora carminibus esse additas (cf. infra), concedere non possumus, esse causas, cur carmen postea interpositum existimetur. Etenim argumentum a Stadio allatum, quod aliis locis Chronistes non dicat, quid sit cantatum, sed solum, esse cantatum, partim, si esset rectum, nihil demonstraret, partim locis 1 Chron. 29,10. 2 Chron. 6,14 sq. 20,6 sq. refutatur, quid? quod aliis quoque locis vocibus talibus, quibus fit in carmine illo (וְעַתָּה, וְאִמְרוּ), quas appellaverunt Delitzsch et Ehrt (l. c. p. 69 sq.) „Klammern", psalmorum partes e memoria repetitas Chronistes inter se conjungit. cf. 1 Chron. 16,35. 2 Chron. 6,16,17,40,41.

enuntiatum illud sequuntur, e psalmo 77 repetitos esse constat, hos quoque aliunde poeta mutuatus esse videtur. Non minus psalmum 98 e psalmo 24 voces nonnullas repetiisse verisimile est cf. 98,7 וּמְלֹאוֹ תֵּבֵל וְיֹשְׁבֵי בָהּ cum 24: וּמְלוֹאָהּ תֵּבֵל וְיֹשְׁבֵי בָהּ. Jam initium psalmi 102 nonne videtur compositum esse e carminum variorum antiquiorum enunciatis? cf. v. 2:

יהוה שִׁמְעָה תְפִלָּתִי וְשַׁוְעָתִי אֵלֶיךָ תָבוֹא cum
18,7: וְשַׁוְעָתִי אֵלָיו תָּבוֹא, 29,13 שִׁמְעָה תְפִלָּתִי וְשַׁוְעָתִי
102 v. 3 cum 27,7,9. 31,3.

Quid amplius dicamus de psalmo 109? cf.

v. 3 et 4 — ps. 35,20. 38,2, v. 4 — 35,12 sq.
v. 12 — 36,11 , v. 20 — 31,16
v. 29 — 35,26 , v. 30 — 22,23.

Confer denique ps. 114,6 cum 29,6. De psalmo 116 paullo accuratius disputabimus. Quem esse temporibus Maccabaeorum attribuendum, quod imprimis affirmavit Grätz (Monatsschr. 1879 p. 202—15), concedere non possumus, quia ne unam quidem causam attulit, qua opinio dilucide comprobatur. Tamen e disceptationibus annis postremis factis, nisi psalmi ipsi argumenta perspicua praebent, aetate illa eos compositos esse existamari non potest (cf. § 2). Adeo vero non indicia talia in psalmo 116 inveniuntur, ut eum Esrae-Nehemiae aetate conscriptum esse Ehrt demonstraverit (l. c. p. 89—98). In quo comparandi sunt versus 1—4, qui aperte imitantur psalmi 18 versus 2a, 4—7, etenim ille locus multo minus ad res, quae vere factae sunt, spectat vocesque illic artificiose cumulantur. Confer praeterea:

ps. 116,9 אַרְצוֹת הַחַיִּים cum 27,13: אֶרֶץ חַיִּים
116,11 אֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי cum 31,23 וַאֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי,

qui locus aperte ante illum est conscriptus, quia hîc vox וַאֲנִי vere opposita est voci אָכֵן, illic ea poeta utitur, quamquam vox, cui opponitur, non adest, elucet ergo, eum enuntiatum aliunde repetiisse. Confer denique ps. 120,1: אֶל-יהוה בַּצָּרָתָה לִּי קָרָאתִי וַיַּעֲנֵנִי cum 18,7: בַּצַּר-לִי אֶקְרָא יהוה וְאֶל-אֱלֹהַי אֲשַׁוֵּעַ. Hoc enim loco enunciatum in recto orationis progressu invenitur, illic non cohaerens cum versibus subsequentibus, thematis loco carmini propositum est. Psalmum 89, qui gravissime sententiam nostram confirmat, quem eadem aetate ortum censemus, praetermittimus, quia eum tum conscriptum esse, alio loco demonstrabimus:

Ut brevi, quae exposuismus, colligamus, quamquam post exsilium denuo sacram artem poeticam inter Israelitas floruisse constat, tamen carminum nonnullorum, quae tum composita sunt,

indole verisimile fit, eam non fuisse aetatem primam, qua ars illa vigebat, sed alteram, qua poetae opera prius conscripta in exempla assumpta imitabantur. (Rejicienda igitur est sententia, vice versa carmina quaedam, e quibus hac aetate aperte jam enunciata sunt repetita cf. ps. 18. 24. 27. 29. 31 aetate posteriore, graeca, orta esse.) Vocum quidem vel sententiarum, quibus poetae utebantur, similitudine inter antiqua quoque carmina inveniuntur. Tamen hac aetate interdum carmen universum ex enunciatis aliorum carminum est compositum. (De hac arte post exsilium exculta diligenter disputavit Ehrt l. c. p. 87.) Non minus precationes, quae temporibus Esrae-Nehemiae dictae in libris historicis nobis sunt traditae, non solum tephillae, quae dicitur, dicendi genus imitantur, sed etiam e carminibus certe antiquioribus et voces et enunciata repetunt. (cf. impr. de Neh. 9. Ehrt p. 71.) Persuasum ergo nobis habebimus, neque illis temporibus fuisse aetatem primam, qua poetae carmina sacra componebant, neque primi libri psalmos, quos supra commemoravimus hac aetate, immo priore conscriptos esse.

c) Transeamus ad Jonae librum perlustrandum, quem, si est post exsilium ortus, conscriptum esse Esrae temporibus vel brevi post verisimillimum est. (cf. Kuenen, Reuss: Gesch. § 409 etc.) Cuius libri caput alterum compositum esse e variis psalmorum partibus, omnes homines docti concedunt. (cf. praet. cet. Dewette-Schrader: Einleit. § 292.) Atque aperte mutuatus est poeta versum 3—e ps. 18,7, v. 5—e ps. 31,23, v. 7—e ps. 30,4, v. 9 et 10 e ps. 31,7 (hoc loco juvat, tranformationem temporibus diversis, quibus carmina sunt composita, respondentem animadvertere: e וַאֲנִי בָּטַחְתִּי in וַאֲנִי אֶזְבְּחָה). Praeter ceteras autem gravis est repetitio in versu 8 e psalmo 142 facta (cf. v. 4). Etenim ps. 142 membrum est corporis cuiusdam carminum (138—145), quod esse intra psalterium tempore fere recentissimo et ortum et collectum constat, quia in omnibus carminibus, quae continet, partes psalmorum antea compositorum et repetuntur et inter se conjunguntur (cf. Delitzsch ad pss. singulos, Ehrt p. 108). Etenim, quia carmina haec non solum tales cognationes cum psalmis, qui in libris prioribus continentur, praebent, quales omnia fere carmina eodem tempore composita aliud cum alio prae se ferunt, sed aperte repetitiones et mutuationes, corporis illius origo alii aetati atque carminum in eo repetitorum est attribuenda. Si vero Jonae libri scriptori jam erant noti psalmi illi, qui ipsi iterum e carminibus, quae in libro I. continentur, varia mutuati sunt, dubi-

tari non potest, quin haec sint multo ante Esram orta; certissime non eius neque graecis temporibus conscripta sunt.

d) Argumentum non minus grave e libro Jesaiae Babylonici repetitur. Cuius orationibus ardore, fide, spe, consolatione redundantibus novam aetatem artis poeticae Hebraicae esse adductam, quis est, qui neget? Ut incipiamus a carmine illo quod esse conscriptum, cum libertatis edictum a Cyro inter Judaeos esset promulgatum, vel paullo post, homines plurimi docti consentiunt, psalmo 102, nonne invenimus in eo e Deuterojesaiae libro repetitos versus 4 sq. 20 sq. cf. Jes. 63,15. 42,7. 61,1? Jam psalmi, qui canebantur ab ecclesia temporibus, quae exsilium subsequebantur, ps. 95—100, nonne ubique Deuterojesaiae usum loquendi redolent? (cf. tabellas apud Ehrtium l. c. p. 53—55.) Ne vero dicas, hanc prophetae vim ad artem poeticam excolendam non posse demonstrari nisi in carminibus initio aetatis illius compositis, ubi gaudium de reditu resonabat in hymnis, quorum voces ex orationibus prophetae repetebantur, postea autem eam evanuisse, perlustra carmina temporibus posterioribus orta, de rebus variis agentia. Neque enim solum hymni in Dei gloriam cantati cf. ps. 103. 115. 135, non solum carmina ad populi historiam respicientia cf. ps. 105—107, ps. 68 (ad hunc Pontii tabellas) varie repetunt Deuterojesaiae sententias vocesque, sed etiam psalmi eiulantes cf. ps. 109,4,16,18,22,29. In libro vero primo psalmorum tales mutuationes frustra quaeres.

Dixerit quispiam, poetam psalmi 7 (cf. v. 15) imitatum esse locum Jes. 59,4, sed, si quidem locus alter ab altero est repetitus, psalmi versus prius est conscriptus, quia in hoc figura a poeta adhibita plane exposita est, non est in Jesaiae libro (praeterea psalmi poeta non voce הוֹלִיד utitur cf. Giesebr. l. c. p. 236). E cognatione inter Jes. 58,14 et ps. 18,34, Jes. 44,23 et ps. 22,32 nihil concludi potest. Quod vero judicat Grätz, duas voces, quibus psalmorum poetae saepe usi sunt, e Deuterojesaiae libro esse repetitas יִרְשׁוּ אָרֶץ ps. 25,13. 37,11.22.29.34 e Jes. 60,21 et נִשְׁבְּרֵי לֵב ps. 34,19 e Jes. 61,1, illa aperte originem habet e promissis antiquis a Deo patribus datis, cum terram Israeliticam nondum possiderent, ergo vox jam ante Deuterojesaiam in populo vigebat (cf. Exod. 20,12. Lev. 26,3 sq. Deut. 5,30. Hupf.[3] ad ps. 25. Riehm: altt. Theol. p. 316); vox autem נִשְׁבְּרֵי לֵב in libris aliis ante exsilium conscriptis non invenitur nisi, quia de re, quam significat, in iis non multis verbis agitur, ea jam potuisse ante Deuterojesaiam poetas uti, elucet e Jer. 23,9. Alias cognationes inter huius librum et psalmos, qui continentur in primo psalterii libro, nullas fere invenis.

Concedimus quidem, post exsilium quoque carmina multa oriri potuisse a Deuterojesaiae ingenio plane diversa et eam ob rem nullam sermonis cognationem cum eo praebentia (cf. ps. 119. 120—34. 139), tamen argumentum non leve ad originem primi libri statuendam existimamus, quod liber continet quadraginta carmina de variis rebus agentia, quae nullam fere cognationem cum prophetae illius libro, certe nullum locum ex eo repetitum prae se ferunt, tamen hoc, si essent carmina post exsilium composita, certissime factum esset, quia variae vocum repetendarum occasiones psalmorum poetis erant oblatae. (cf. imprimis enarrationem de patienti servo Dei, in psalmo 22 etc. nullum invenitur vestigium explicationis talis, qualem fecit de eo Deuterojesaia c. 49—54.)

Quod idem confirmatur argumento ab Ezechielis libro repetito. Cuius quidem orationes minus fuisse aptas, e quibus decerperentur enunciata a poetis et ad carmina componenda adhiberentur, nemo negabit. Tamen non solum in Threnis 2,11 invenimus verba ex illius libro repetita (cf. Merkel: die Klagelieder), sed etiam in psalmis nonnullis post exsilium conscriptis, imprimis in psalmo 119. Confer praeterea ps. 106,23 cum Ez. 22,30. 13,5, ps. 106,26,27 cum Ez. 20,23. In libro vero primo psalmorum nullam repetitionem ex eo factam invenimus, etenim nemo negabit, tantum abesse, ut psalmorum 15. 24,1—4 poetae ab Ezech. 18,5—18 verba mutuati sint, ut ante hunc illos esse compositos eluceat, quia propheta de lege agit tamquam de re, ad quam omnes piorum cogitationes intendant (cf. v. 9. 17 מִשְׁפָּטַי, חֻקּוֹתַי), in psalmis eius nondum fit mentio ulla.

Quibus expositis persuasum nobis habemus, verisimile non esse, psalmos, qui continentur in libro primo, compositos esse post reditum e captivitate Babylonica.*) [Comparantur separatim psalmi l. I. cum Proverbiis libroque Jobi. Ut enim in universa dissertatione hoc quoque loco argumentum librorum cum psalmis multas in partes cognatorum, Jobi et Proverbiorum, non afferemus, quia, cum de horum origine nostris diebus simili ratione disputetur atque de illis, nihil iis comprobari potest contra adversarios. Tamen brevi nobis est exponendum, quid ex illa argumentandi ratione concludi possit de ordine temporum, quibus libri et psalmorum primus et Proverbiorum Jobique sint conscripti, ut, si alio fortasse loco de horum origine disputabimus, habemus, unde proficisci possimus.

Ac primum quidem affirmamus, nullum inveniri in psalmorum libro I. locum, quem e Proverbiis repetitum esse dilucidis argumentis demonstrari possit. Neque enim assentiri possumus Nowackio, qui locum ps. 37,23 e Prov. 20,24 mutuatum esse statuit. Immo locus

ille multo est amplior atque cum verbis progredientibus subsequentibusque psalmi artissime sententiarum ordine est conjunctus, nullum indicium invenitur, eum aliunde esse repetitum. Sunt vero alii loci nonnulli, quibus psalmis origo prior abjudicari non possit. Quod concedes, si conferes ps. 7,16,17[a] cum Prov. 26,27, etenim in psalmo verbum, ut ita dicam, media e vita ortum est; poeta enarrat, quae vere acciderint, in Proverbiis ex his jam collecta sunt praecepta et doctrinae, non minus, si conferes ps. 32,1 sq. cum Prov. 28,13 sq., etenim, quae in illo accidisse narrantur, in Proverbiis pro disciplina et praeceptis habita esse videntur. Jam versum psalmi 18,31 repetiit, qui scripsit Prov. 30,5, quia, si hic locus esset prius ortus, nequaquam eo adhibita esset vox מָגֵן, nulla causa, cur ea usus sit homo sapiens, in contextu inveniri potest: immo, prius ea utebatur poeta exponens conditionem, in qua vere versabatur, postea homo sapiens eam mutuabatur e carmine. Alii sunt loci, quibus etsi nulla repetitio invicem facta sit, tamen cognatio est tanta, ut et psalmi et Proverbia eadem aetate orta esse videantur. Ita censemus de cognatione inter ps. 34,12 sq. 32,8. 41,2—4. 37 etc. et Proverbiorum locos varios esse judicandum. Cognationum denique aliarum causa inde est repetenda, quod de rebus iisdem et in Psalmis et in Proverbiis simili modo, hoc est ratione magistri discipulos docentis agitur.

Sequitur, ut Jobi librum brevi perlustremus. Atque uno loco certe, qui eum conscribebat repetiisse nobis videtur e psalmo verba, Job. 7,17,18: מָה-אֱנוֹשׁ כִּי תְגַדְּלֶנּוּ וְכִי-תָשִׁית אֵלָיו לִבֶּךָ וַתִּפְקְדֶנּוּ לִבְקָרִים e psalmo 8,5: מָה-אֱנוֹשׁ כִּי-תִזְכְּרֶנּוּ וּבֶן-אָדָם כִּי תִפְקְדֶנּוּ. Non enim factum esse potest, ut psalmus beneficia a Deo hominibus data enarrans voces illas acerbas e Jobi libro repetierit, immo hae voces sunt parodia, quam recte appellavit Delitzsch, ad psalmi enunciatum respiciens. Alius autem locus est, quo psalmus e Jobi libro voces mutuatus esse videatur, etenim constat, ortum esse versum 14 psalmi 39: הָשַׁע מִמֶּנִּי וְאַבְלִיגָה בְּטֶרֶם אֵלֵךְ וְאֵינֶנִּי׃ e versibus Job. 10,20,21: הֲלֹא-מְעַט יָמַי יַחְדָּל יְשִׁית מִמֶּנִּי וְאַבְלִיגָה מְּעָט׃ בְּטֶרֶם אֵלֵךְ וְלֹא אָשׁוּב אֶל-אֶרֶץ חֹשֶׁךְ וְצַלְמָוֶת׃. Confer praeterea ps. 39,5—7 cum Job. 7,7. 14,1 sq. 16,22. De omnibus aliis cognationibus innumerabilibus fere inter Jobi librum et psalmorum librum I. (cf. Job. 3,24. 5 — ps. 37, Job. 11,14,20. 13,24,27 — ps. 25,7. Job. 15,35 — ps. 7,15. Job. 16,9,10. 17,5. 18,8—10. 19,13,14. 21,5,18,29. 22,19,27,30. 24,4,10 — ps. 22,18. Job. 25,6 — ps. 22,6. Job. 27,4 — ps. 7,9. Job. 28,28. 30,9 etc.) haec enuntiamus. Repetitiones vere invicem factas esse cum nullo horum locorum demonstrari possit, omnes

similitudines inde ortae esse videntur, quod in carminibus illis lamentantibus atque in libro Jobi agitur de rebus similibus. Tamen, quia, quae psalmi continent, poetis vere acciderunt calamitates, inimicitiae, pericula, quae vero Jobi liber enarrat, ficta sunt et explicata more poetico, plerumque verisimile est, illis originem priorem esse attribuendam, res. de quibus psalmi agunt, antea accidisse et in carminibus lyricis ab iis, quibus acciderunt, esse enarratas, quam sint res variae unius hominis vitae ascriptae et epos illud magnificum ortum. (Cuius poeta ex Amos prophetae quoque libro varia repetiit cf. Am. 4,13. 5,8 etc.) Ceterum non negamus, post librum compositum alios iterum psalmos ex eo varia mutuatos esse (cf. ps. 39. 88 etc.); hoc loco non loquimur nisi de maxima parte psalmorum l. I., ad carmina singula excipienda nondum rescipientes.

Est ergo ita, ut psalmos nonnullos, quos continet liber I., atque Proverbia Jobique librum eadem aetate conscriptos esse censeamus cf. impr. ps. 32. 34. 37. 41 cum Prov., post Jobi librum ortus pro certo nullus nisi ps. 39 existimari possit, psalmis autem multis l. I. origo ante libros illos sit attribuenda, quia et varia in his ex illis repetita sunt et semper carmina, quae casus vel lugubres vel laetos vere factos enarrant ante eos libros compositos esse existimandum est, qui ex illis praecepta colligunt vel casus tales arte fingunt *).]

§ 15. Demonstratur, psalmos, quos continet l. I., esse compositos ante exsilium.

I. Sequitur, ut ex iis, quae, psalmis cum aliis veteris testamenti libris collatis, alia ex aliis invicem repetita esse videntur,

*) Ad cognationem supra commemoratam, quae invenitur inter Job. 7,17 et Ps. 8,5, haec adnotamus. Quia interdum est affirmatum (cf. v. Lengerke), psalmum 8 nonnulla repetiisse e Genesis capite 1, quod ascribitur sacerdotum codici, post exsilium illum esse compositum, nostris diebus docti nonnulli concludent. Repetitio vero facta est ne uno quidem loco. Sententiae quidem, quas psalmi poeta profitetur, congruunt cum iis, quas enuntiavit is, qui caput illud conscripsit (cf. 8,6 sq. cum Gen. 1,27,29, has vero jam ante exsilium enuntiari potuisse, exposuimus § 10 I.), inter voces tamen, quibus utebatur uterque, nulla similitudo invenitur. Psalmum ante exsilium esse compositum, comprobatur et repetitione, quae invenitur ex eo facta in Jobi libro (psalmi 144,3, circa Esrae tempora conscripti, poeta jam ex utroque voces mutuatus est, בֶּן אֱנוֹשׁ e psalmo 8 atque הֶבֶל et יָמָיו e Jobi libro) et universo argumento carminis a psalmis, qui de re eadem agentes post exsilium sunt compositi (cf. ps. 104 etc.) discrepantis.

demonstremus, illos esse ante exsilium compositos. Atque incipiamus a repetitionibus inter psalmos et Jeremiae librum invicem factis, quas esse permultas quis est, qui nesciat? Quarum causa unde sit repetenda, jam multum et varie disputaverunt homines docti. Dixerunt et Hengstenberg et Delitzsch: Jeremia imitatur psalmos davidicos (quamquam hic psalmos nonnullos a propheta compositos esse statuit), affirmavit Hitzig: Jeremia ipse conscripsit psalmos, qui cum orationibus et precationibus in eius libro traditis sunt cognati, concludent alii, qui psalmos post exsilium ortos esse censent: psalmi imitantur Jeremiae precationes. Quare admonemur, ut, quam poterimus diligentissime, hac de quaestione disputemus. Atque primum perlustrabimus locos eos, quibus primo aspectu psalmorum poetae e Jeremiae libro aliquid repetiisse videntur, et demonstrabimus, his e contrario comprobari, psalmis esse originem priorem attribuendam, deinde eos locos colligemus, qui in libro utroque inveniuntur inter se cognati, e quibus tamen nihil de illa quaestione concludi posse censemus, ad extremum eos afferemus, quibus dilucide Jeremia e psalmis verba mutuatus esse videtur.

A. Ac primum quidem argumentum illud examinandum nobis est, quo imprimis nitebatur Hitzig, cum diceret, voces nonnullas, quibus psalmorum poetae usi sint, quae eaedem inveniantur in Jeremiae precationibus, nisi e singulari prophetae conditione, qualis fuerit, vel loquendi usu originem habere non posse. Cui si esset assentiendum, inde sequeretur, aut psalmos a Jeremia ipso esse conscriptos aut carminum poetas eum imitatos esse. Jeremiam quidem ipsum fuisse poetam psalmorum, vix nostris diebus multi censent neque hanc sententiam refutemus necesse est. (cf. Hupf., Dewette, Kuenen: Onderz. III p. 296 sq. Meier l. c. etc.; argumentum, quo ea refellitur imprimis, est haec, quod ne uno quidem loco, in psalmis indicium ullum invenimus, poetam fuisse prophetam, immo in ps. 69,10 invenitur res contraria enunciata, in precationibus vero Jeremiae mentionem muneris prophetici invenimus persaepe cf. Jer. 15,16. 17,16. 18,20. 20,7—12.) Quo magis homines docti nostris diebus operam dabunt demonstrare, similitudines illas psalmorum poetis Jeremiam imitantibus esse ortas.

a) Ac primum quidem hoc loco respiciendae nobis sunt figurae illae persaepe in psalmis e fovea, limo, vinculis repetitae, quae primo aspectu in Jeremiae conditione, qualis fuit, originem habere et ex illa declarandae esse videntur; imprimis huc referuntur loci, quibus poeta diserte queritur, se demersum esse in foveam, vel

Deum laudat, quod se ex ea traxerit (cf. ps. 40. 69 etc.). Quos psalmos non a Jeremia ipso esse conscriptos, E. Meier (l. c. p. 468) jam recte eo demonstravit, quod fovea, in quam conjectus est propheta, e Jer. 38,6 fuerit aquis vacua, psalmi autem 69 poeta conqueratur de fluctibus aquarum cf. v. 3. Aperte omnes illae voces sunt figurae, adhibitae, ut calamitates, quibus obrutus est poeta, expingantur. Neque vero res et casus, in quibus versabatur Jeremia, primo tales orationis figuras adduxisse, non solum eo elucet, quod et in psalmis, threnis, proverviis etc. inveniuntur figurae similes, quas nemo adhuc ad verbum interpretatus est, immo figuras locis illis esse adhibitas omnes consentiunt (cf. de saxo, arce, fovea, quam alius alii fodit etc.), sed etiam eo, quod ipse Jeremia iis utitur, antequam conjectus est in foveam cf. Jer. 5,26. 18,22. Vocibus ergo et figuris talibus eius temporibus pericula, calamitates etc. in enarrationibus, quas faciebant poetae, persaepe significata esse videntur. E quo sermone poetico Jeremia eos mutuatus est.

b) Idem judicamus de vocibus aliis singularibus, quibus et Jeremia et psalmorum poetae usi sunt. Poeta enim psalmi 31 dicit in v. 14: כִּי שָׁמַעְתִּי דִּבַּת רַבִּים מָגוֹר מִסָּבִיב, idem autem Jeremia in precatione 20,10. Primo aspectu, qui contextum universum perlustrat, censebit, hoc verbum a Jeremia e singulari quodam vitae eius casu formatum esse. Etenim Jer. 20,3 audimus, eum Paschchuri cuidam, qui verberibus prophetam puniverat, poenae causa nomen imposuisse: מָגוֹר מִסָּבִיב, quod significat, tremorem undique illum circumdaturum esse; in precatione subsequenti vocibus his ad rem illam respicientibus Jeremia usus esse videtur; in psalmo igitur eas hac e precatione repetitas esse nonnulli concludent (cf. Hupfeld [3]). Nequaquam vero verbum a Jeremia ad casum illum est formatum; etenim voces easdem invenimus in prophetae orationibus jam multo, antequam minis illis Paschchurem insecutus sit (cf. 6,25). Non ergo verbum מָגוֹר מִסָּבִיב e Jeremiae conditione est ortum sed vice versa propheta nominis loco Paschchuri illud attribuit, quod temporibus eius per omnium ora ferebatur (cf. Threni 2,22). At non solum vox una, sed enunciatum universum congruit inter Jeremiam psalmumque. Tamen, si quid hac e congruentia de originis temporum ordine concludi potest, concludimus, psalmum ante prophetam esse conscriptum. Etenim in carmine כִּי particula re vera causam inducit enunciati antecedentis: הָיִיתִי כִּכְלִי אֹבֵד, in Jeremiae vero libro 20,10 כִּי non solum omitti potest, sed nulla causa intellegitur, cur posita sit. Num hoc loco parti-

cula illa enunciatum praecedens, Jeremiam non posse Dei verbum in corde retinere, confirmat? Immo, ad hoc non respicit, aperte ergo verbum ex alio loco repetitum est. Quo quidem quia propheta usus est, constructionem aliquam cum contextu facere operam dare debemus neque alia fieri potest nisi enuntiato particulam כִּי sequente ad לֹא אֶזְכְּרֶנּוּ וְלֹא אֲדַבֵּר relato (cf. Keil). Hanc autem constructionem arte effectam esse, jam inde intellegere potes, quod eadem causa, cur non prorsus propheta loqui velit, jam enuntiata est in vv. 7 et 8 (hîc jam כִּי), ergo in circulo versatur oratio. Verisimile igitur est, hoc loco Jeremiam e psalmo voces mutuatum esse.

c) Si vero locis commemoratis judicandum nobis est, Jeremiam usum esse vocibus e psalmis repetitis, idem aliis locis verisimile fit, quamquam primo aspectu alii ratione contraria judicabunt. Atque primum afferimus cognationem, quae invenitur inter Jer. 2,13. 17,13 et ps. 36,10: מְקוֹר חַיִּים מַיִם. Non quidem censemus, his locis repetitionem veram alterius ex altero esse factam, quia illic voces ad Deum ipsam spectant, psalmi vero poeta enuntiat: עִמְּךָ מְקוֹר". Sed si origo sententiae quaeritur, quae sit, constat, in psalmo inveniri enuntiatum prius conscriptum, quia arta cogitationum conjunctione poeta de voluptatum fonte agit, qui egrediatur e templo, cum in eo coram Deo sit fons vitae (cf. ps. 16,11). Qua ex expositione orta et repetita est appellatio illa Dei tamquam fontis aquarum vitae, qua utitur Jeremia. Vox alia huc referenda est: בֹּחֵן כְּלָיוֹת וָלֵב cf. Jer. 11,20. 17,10. 20,12 cum ps. 7,10. 17,3, ubi iterum non alterum locum alterius verba repetiisse constat. Neque vero verbum illud a Jeremia esse formatum, ulla re verisimile fieri potest, immo sententiam eandem, quae vocibus illis pronuntiatur, jam invenimus Amos prophetam profitentem (cf. 4,13). Quid loquamur de ratione, qua liber uterque vocibus יָסַר-יָכַח, בָּנָה-הָרַס, סָלַח etc. usus sit? Alterum ante alterum conscriptum esse, ex iis concludi certe non potest, vel materia cognata, de qua agitur in libro utroque, vel Jeremiae indole poetis simili vel originis aetate eadem cognationes illae adductae fortasse sunt alterum ex altero repetiisse intellegi non potest. (Unum exemplum praeter cetera commemorabimus. Vox, qua usus est Jeremia persaepe, est רֹעַ מַעַלְלִים cf. 4,4. 21,12. 23,2. 24,8. 26,3 etc. Eadem invenitur in psalmo 28 cf. v. 4. Qui locus cognationem quandam praetera prae se fert cum Jer. 25,14: כְּפָעֳלָם וּכְמַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם שִׁלַּמְתִּי לָהֶם. cf. ps. 28,4: תֵּן לָהֶם כְּפָעֳלָם וּכְרֹעַ"; tamen certissime non ulla mutuatio invicem facta est, etenim hoc loco Jeremia vocibus

illis“ רֹעַ non usus est.) Tantum ergo abest, ut psalmorum poetae locis commemoratis Jeremiam imitati sint, ut propheta e carminibus nonnullla repetiisse videatur. (cf. b.)

B) Jam attigimus locos tales, qui in Jeremiae libro et psalmorum primo inveniuntur inter se cognati, e quibus tamen statui non potest, utri origo prior sit attribuenda. Qui loci non alter ab altero repetiti appellari possunt, sed vel et psalmos et Jeremiae precationes eadem aetate factas esse verisimile fit vel demonstratur, Israelitas vocibus talibus cognatis, quales in utroque libro inveniuntur, usos esse, ubi oratione elata pericula, terrores, salutem enarrabant, neque extra psalmos nisi in Jeremiae libro inveniuntur, quia aliorum hominum precationes sermone poetico dictae nullae fere nobis sunt traditae. Atque tales locos inter se cognatos hos collegimus:

Ps. 2,3	— Jer. 5,5,	Ps. 5,10	— Jer. 5,16
Ps. 6,3,5	— Jer. 17.14,	Ps. 7,10,12	— Jer. 11,20. 17,10. 20,12.
Ps. 7,16	— Jer. 18,20,22,	Ps. 10,16	— Jer. 10,10
Ps. 14,1	— Jer. 5,1,	Ps. 18,8	— Jer. 10,10
Ps. 22,28	— Jer. 16,19. 16,7,	Ps. 26,4	— Jer. 15,17
Ps. 27,10	— Jer. 12,6,	Ps. 28,3	— Jer. 9,7.
Ps. 28,4	— Jer. 25,14,	Ps. 28,5	— Jer. 1,10. 8,9. 42,10
Ps. 28,8	— Jer. 16,10,	Ps. 30,7	— Jer. 22,21
Ps. 30,12	— Jer. 31,13,	Ps. 31,11	— Jer. 20,18
Ps. 31,18	— Jer. 17,18,	Ps. 35,1	— Jer. 18,19
Ps. 37,6	— Jer. 51,9,	Ps. 37,17	— Jer. 48,25
Ps. 39,3,4	— Jer. 20,9,	Ps. 40,5	— Jer. 17,7.

Quibus ex omnibus nihil concludi posse nobis videtur, utrum psalmis an Jeremiae precationibus origo prior sit attribuenda.

C) Restat, ut locos eos perlustremus, quibus repetitionem alterius ab altero factam esse negari non potest, e quibus vero omnibus psalmi prius compositi esse videntur, quia vel argumentum eorum gravius est vel forma poetica (cf. imprimis parallelismum membrorum, qui dicitur) excultior vel continuatio seriesque sententiarum in iis est ita, ut alia ex alia nexa et omnes inter se colligatae esse videantur, in Jeremiae vero libro minus.

cf. Ps. 6,2 יהוה אַל-בְּאַפְּךָ תוֹכִיחֵנִי וְאַל-בַּחֲמָתְךָ תְיַסְּרֵנִי
cum Jer. 10.24: יַסְּרֵנִי יהוה אַךְ בְּמִשְׁפָּט אַל-בְּאַפְּךָ פֶּן-תַּמְעִיטֵנִי (illic parallelismus membrorum est, hîc non est).

cf. Ps. 6,7: יָגַעְתִּי בְּאַנְחָתִי אַשְׂחֶה בְכָל-לַיְלָה מִטָּתִי
cum Jer. 45,3: יָגַעְתִּי בְּאַנְחָתִי וּמְנוּחָה לֹא מָצָאתִי (illic argumentum

gravius, אֲנָחָה, vocem poeticam, propheta e carmine repetiisse videtur).

cf. Ps. 22.3: אֱלֹהַי אֶקְרָא יוֹמָם וְלֹא תַעֲנֶה וְלַיְלָה וְלֹא-דוּמִיָּה לִי

cum Jer. 14,17: תֵּרַדְנָה עֵינַי דִּמְעָה לַיְלָה וְיוֹמָם וְאַל-תִּדְמֶינָה (psalmus loquitur gravius; praeterea propheta voce דָּמָה (cf. Thren. 3,49 cf. 2,18), quam ad oculos refert, usus esse videtur imitatus דוּמִיָּה vocem in ps. 22,3).

cf. Ps. 22,9: גֹּל אֶל יהוה יְפַלְּטֵהוּ

cum Jer. 11,20. 20,12: כִּי אֵלֶיךָ גִּלִּיתִי אֶת-רִיבִי. (גִּלִּיתִי derivari non potest nisi a גָּלָה, hoc vero verbum constructum est cum praepositione אֶל, psalmo 22,9 in exemplum assumpto).

cf. Ps. 35,6: יְהִי-דַרְכָּם חֹשֶׁךְ וַחֲלַקְלַקּוֹת וּמַלְאַךְ יהוה רֹדְפָם

cum Jer. 23,12: לָכֵן יִהְיֶה דַרְכָּם לָהֶם כַּחֲלַקְלַקּוֹת בָּאֲפֵלָה יִדַּחוּ וְנָפְלוּ בָהּ (Illic multo singularius et gravius cf. מַלְאַךְ יי, hîc partes duae contractae).

cf. Ps. 35,12: יְשַׁלְּמוּנִי רָעָה תַּחַת טוֹבָה שְׁכוֹל לְנַפְשִׁי

cum Jer. 18,20: הַיְשֻׁלַּם תַּחַת-טוֹבָה רָעָה כִּי-כָרוּ שׁוּחָה לְנַפְשִׁי (Aperte hîc vox לְנַפְשִׁי loci illius exemplo formata est).

Si ad hos locos addimus cognationem inter Ps. 31,4 et Jer. 20,10, de qua sub A,b disputavimus, quamquam tenemus, omnes illos, ut vocibus De Lagardii utamur, non esse „Stellen, die aus einem Buche in ein anderes, sondern aus einem Munde in einen andern übergehen“ (Wortbildung etc. p. 145), tamen persuasum nobis habemus, originem priorem ubique psalmis esse attribuendam, e quibus quidem Jeremia non simpliciter voces vel enuntiata repetiit, sed ad contextum mutavit, ipsius rebus accommodavit. Quod confirmatur, si perlustramus Jeremiae orationes, in quibus omnibus invenimus varia eum ex orationibus prophetarum, qui ante eum exstiterunt, mutuatum esse, si memoria tenemus, precationes eius, ut erat occasio, ex tempore esse dictas, unde verisimile fit, eas in vocibus, repetitionibus, variationibus precationum carminumque, quae jam tum exsistebant, versatas et varia ex iis mutuatas esse, quae erant a poetis antea compositae (cf. imprimis Jer. 20,13). Addimus denique, inveniri in Jeremiae libro complures voces singulares, quibus psalmorum poetas usuros fuisse, si post illum eumque imitati carmina composuissent, conjicere possumus, quas tamen in iis non invenimus cf. מְקוֹר דִּמְעָה 8,23. 9,17. 14,17, עֵינִי רִנָּה וּתְפִלָּה 7,16. 11,14, תִּתְנַקֵּם נַפְשִׁי 5,9,29. 9,8, יַקְשׁוּ עָרְפָּם 17,23, אָלָה חֶרְפָּה קְלָלָה שַׁמָּה 20,8. 42,18. 44,12, cf. denique locos, qui respiciunt ad foedus a Deo cum populo ictum, thoram etc. 22,9 etc.

II. Eadem ratione, qua de similitudine inter Jeremiae precationes et psalmos, judicamus de cognatione, quae invenitur inter psalmos l. I. Threnosque. Cuius plerumque causa inde est repetenda, quod in utrisque agitur de rebus similibus sermone poetico (praeterea fortasse paullulum inter se distant tempora, quibus Threni psalmique nonnulli sunt compositi). cf. ps. 7,3 — Thr. 5,9. 4,4, ps. 7,13. 11,2 — Thr. 3,12, ps. 10,9 — Thr. 3,10, ps. 22,3 — Thr. 2,18, ps. 22,14 — Thr. 3,46. 2,16, ps. 22,16 — Thr. 4,41, ps. 31,10 — Thr. 1,20, ps. 35,1 — Thr. 3,58, ps. 28,2 — Thr. 2,9. Duobus vero locis verisimile est, psalmorum verba a Threnorum poeta vere esse variata ipsiusque rebus accommodata cf. ps. 28,4: תֶּן-לָהֶם כְּפָעֳלָם וּכְרֹעַ מַעַלְלֵיהֶם כְּמַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם תֵּן-לָהֶם הָשֵׁב גְּמוּלָם לָהֶם cum Thren. 3,64: תָּשִׁיב לָהֶם גְּמוּל יהוה כְּמַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם (illic anadiplosis, quae dicitur, oratio multo gravior).

cf. ps. 31,23: וַאֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי נִגְרַזְתִּי מִנֶּגֶד עֵינֶיךָ

cum Thren. 3,54: צָפוּ מַיִם עַל רֹאשִׁי אָמַרְתִּי נִגְזָרְתִּי (hic locus ad illum respicere videtur; nam, si ille nondum exstitisset, vox נִגְזָרְתִּי uberius esset explicita). Psalmum autem aliquem, qui continetur in libro primo, e Threnis aliquid mutuatum esse, nullo loco demonstrari potest.

III. Sententia nostra confirmatur carminibus aliis, quae cum psalmis, qui continentur in libro I., aperte ut species cum specie generis eiusdem cohaerent. Ac primum quidem Habacucis carmen grave esse argumentum, quo eruatur psalmorum originis aetas, negare nemo potest. Quod etsi magis valet ad psalmorum Asaphicorum originem statuendam, tamen cum primi quoque libri psalmis esse cognatum, hac e comparatione elucet: Transitus in versu 18 idem fere est, qui in psalmis multis: וַאֲנִי בַּיהוה אֶעֱלוֹזָה cf. ps. 5,8. 13,6. 31,15, אֱלֹהֵי יִשְׁעִי, Hab. 3,18, compara cum ps. 18,47. 25,5. 27,1. Jam aperte conclusio illa Hab. 3,19 b: וַיָּשֶׂם רַגְלַי כָּאַיָּלוֹת וְעַל בָּמוֹתַי יַדְרִיכֵנִי repetita est e psalmi 18 versu 34: מְשַׁוֶּה רַגְלַי כָּאַיָּלוֹת וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי etenim in hoc comparatio illa enunciato praecedente: וַיִּתֵּן תָּמִים דַּרְכִּי erat adducta, in Habacucis vero carmine, psalmo in exemplum assumpto, brevi repetitur, sententiis nequaquam inter se nexis et colligatis. Quae confirmantur cognatione inter versum 6 et ps. 18,8, versum 8 et ps. 18,10. Habacucem ergo e psalmo 18 verba mutuatum esse constat, psalmos alios libri I nonnullos ei notos fuisse verisimile est.*)

*) Stade (Z. A. W. 1884 p. 154 sq.) demonstrare operam dedit, et Hab. 2,9—20 et carmen c. 3. Habacuci autori tribui non posse. Exposuit enim, a versu 9 aliam orationem incipere, non cum oratione, quae inveniatur in

IV. Transeamus ad Michae librum cum psalmis l. I. conferendum. Inter omnes homines doctos constat, versûs 1—6 capitis 7 ante exsilium esse a propheta dictos vel Hiskiae temporibus postre-

---

Habacucis libro ante versum illum, cohaerentem, quam neque ad Chaldaeos neque ad Jojakim regem referre possimus, immo, eam agere de principe quodam, qui post exsilium, quamquam ipse Judaeus, Judaeos oppresserit et vexaverit; hanc ad rem carmen quoque pertinere, quod praeterea aliis e causis post exsilium compositum esse intellegi possit. Contra quam sententiam haec dicimus. 1. Quod a versu 2,9 nova oratio incipiat, nihil de autore, quinam fuerit, comprobat; idem enim transitus ab oratione alia ad aliam invenitur in omnium prophetarum libris persaepe. 2. Repetitionibus quoque in versibus 12—14 e Micha 3,10, Jes. 11,9 etc. factis nihil comprobatur, quia prophetas alium ab alio verba mutuatos esse, constat e Jeremiae, Zephanjae etc. libris. 3. In carmine de certamine cum gentibus externis agi, non de certaminibus intra Judaeos, demonstratur vocibus v. 10: עַמִּים רַבִּים et v. 13: יִיגְעוּ עַמִּים — וּלְאֻמִּים. 4. Argumenta alia, quibus St. sententiam refutare studuit, versûs ad Chaldaeos esse referendos, nihil valent, quia versûs 9 b, 15—17 non sunt ad verbum percipiendi, sed continent figuras. An censet St., vv. 15. 16 ad verbum esse intellegendas? 5. Populum, de quo agitur, non esse nisi externum et gentilem, non solum elucet e versibus 18. 19, e quibus est idolis serviens (post vero exsilium Judaeos idola coluisse nobis non est traditum), sed etiam e voce הֶעָרֵל in v. 16, quae solum ad hostem gentilem referri potest. (Stade eam silentio praeteriit.) Si denique St. affert, ante exsilium numquam tali ratione, qua fiat hoc loco, gentibus idololatriam opprobrio dari, respondemus, hoc in versu 19 omnino non fieri; „vaeh" propheta non exclamat de homine gentili, quia cultui idolorum deditus impie egerit culpamque contraxerit, sed quod idola sint invalida neque eum in certamine adjuvare possint.

Si vero causa nulla est, cur versûs 2,9—20 prophetae autori abjudicentur, argumenta a Stadio de tertio quoque capite allata nimis levia sunt. Versum 13 enim non ad populum, sed ad regem referimus (cf. § 7 I b). Quod attulit, carmen esse „ein in der Disposition etc. des nötigen Gleichmasses entbehrendes Gedicht", nihil de poeta, quisnam fuerit, comprobat. Jam Stadii illud: es ist ein ganz im Tone nachexilischer Psalmendichtung gehaltenes Gedicht", aliis locis ab eo repetitum, nihil est nisi petitio principii, quae dicitur: psalmos censet post exsilium compositos esse omnes, quia non voces, enunciata cum iis cognata inveniantur in libris ante exsilium ortis; ubi vero inveniuntur talia in libris, quos ante exsilium conscriptos esse traditum est, ea post exsilium interposita esse decernit, quia cum psalmis sint cognata. Immo, carmen c. 3. a Habacuce compositum esse, his ex argumentis elucet. 1. Voces שָׁמַעְתִּי שִׁמְעֲךָ in v. 2 et שָׁמַעְתִּי v. 16 (cf. ibidem (בְּקֶרֶב שָׁנִים) interpretari nemo potest, qui eas non refert ad ea, quae enarrantur c. 2,2. 2. Israelitas, cum carmen conscriberetur, a gentibus externis, non a principe aliquo Judaeo oppressos fuisse, elucet e versibus 6 et 12 (cf. גּוֹיִם), exspectant diem, quo mundus universus in jus vocetur (v. 17 cum hoc arcte cohaeret). 3. Cognatio sermonis, quo usus est carminis poeta, cum Habacucis orationibus (רָשָׁע voce gentiles significantur 1,4,13. 2,4. 3,13 etc. cf. Del. comment) hunc ipsum poetam fuisse demonstrat.

mis vel Manassae. Nonne vero in versu illius secundo status populi internus iisdem fere vocibus enarratur, quibus in psalmis permultis? cf. 7,2 cum ps. 14,3. 12,2 (praeterea Micha 3,3 cum ps. 14,4). Artior est cognatio inter Micha 7,7—20 et psalmos varios, e qua elucet, psalmum 18 Michae notum fuisse, alii, qui primo libro nobis sunt traditi, vel jam tum exstitisse vel eadem fere aetate conscripti esse videntur. cf. Micha 7,7 אֱלֹהֵי יִשְׁעִי cum ps. 18,47, Micha 7,9 יָרִיב רִיבִי cum ps. 35,1, Micha 7,9 עָשָׂה מִשְׁפָּטִי וַיּוֹצִיאֵנִי לָאוֹר cum ps. 37,6, Micha 7,10 כְּטִיט חוּצוֹת cum ps. 18,43, Micha 7,17 יִרְגְּזוּ מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם cum ps. 18,46, Micha 7,18 מִי אֵל כָּמוֹךָ cum ps. 18,32.*)

V. Si Jesaiae perlustramus librum, hanc invenimus cognationem inter orationes eius et psalmos, de quibus disputamus: cf. Jes. 12,4 cum ps. 9,12, Jes. 31,1—3 — ps. 20,8,9, Jes. 33,14,15 — ps. 15,1 sq. 24,3—6, Jes. 33,16 — ps. 18,3,4. 31,4, Jes. 38,10 — ps. 39,14, Jes. 38,18 — ps. 6,6. 30,10. Quae sermonis similitudines partim tales sunt, quales inveniuntur inter ea, quae eadem aetate scripta sunt, partim manifesto repetiit Jesaia psalmorum verba ad suas res accommodata. cf. Jes. 33,14,15. Etenim orationis formam et a psalmi poeta et a Jesaia hoc loco adhibitam e cantu alternante ad pompas sacras cantato ortam esse, supra intelleximus (cf. § 7 I a); quia igitur psalmi ad pompam talem vere sunt dicti, prophetam loco illo eos imitatum esse concludimus.**)

---

*) Versus illos Michae aetati non esse abjudicandos neque exsilii temporibus attribuendos, quod censuerunt Wellh., Stade, Giesebr., alii, a Rysselio (Micha p. 279—82) est demonstratum. Atque quia ne minimum quidem indicium in iis invenitur, populum, cum versus conscriberentur, fuisse in exsilio, numquam deportationis factae vel reditus futuri mentio fit, etiam in versu 12 modo vastationis, plane illi assentimur.

**) Longum est, si argumenta, quibus Stade comprobare studuit, capita 32 et 33 Jesaiae autori tribui non posse (cf. Z. A. W. 1884 p. 256 sq.) diligentur hoc loco examinare vellemus. Illud eius: capita continent psalmorum voces, ergo sunt post exsilium conscripta, jam supra refutavimus, non minus causas e sermone ab eo repetitas. Causa vero eorum, quibus differre horum capitum aliarumque Jesaiae orationum sermonem invenit Ewald (cf. אַף, כִּי אִם, בַּל, יְשׁוּעָה:, אֱנוֹשׁ etc.), inde est repetenda, quod in illis propheta usus est elato poetarum sermone; eo autem magis verisimile fit, Jesaiam esse autorem cognatione, quae aliis locis invenitur inter capita 32, 33 et orationes a Jesaia certissime pronuntiatas cf. Jes. 33,5 cum 2,11,17. 33,19 cum 28,11. 29,5 etc., non minus inter caput 12 (quod postea libro interpositum esse, Stade affirmavit in „Geschichte Israels“) et orationes a propheta certe dictas cf. v. 5 גֵּאוּת, v. 6 קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל, quam vocem recte appellavit Delitzsch „das Anagramm des Verfassers“. Quod denique censuit Stade, sententias, quas propheta professus sit 30,19, contradicere iis, quae c. 32,14 enuntiata sint, quare

VI. Ut omittamus cognationem, quae invenitur inter psalmi 18 versum 34 et Deut. 33,29, de qua alio loco agemus, ubi de psalmo illo separatim disputabimus, omnibus hominibus doctis, qui et psalmos omnes et carmina cum iis cognata post exsilium composita esse censent, haec deliberanda proponimus. Nonne mirabile est, quod omnes poetae, a quibus post exsilium carmina illa vel orationes sermone poetico dictas (Hab. 3. Micha 7 etc.) libris prophetarum adjuncta esse conjiciunt, semper exemplum, quod imitarentur, capiebant de psalmo 18, nonnullis aliis, qui continentur libro primo, ex illisque varia repetebant, omnibus vero e carminibus, quae certe post exsilium multo aptiora ad imitandum orta sunt (magnificentiores enim erant hymni etc. tum compositi) nullam vocem mutuabantur? Si vero et ps. 18 et carmina illa prophetarum libris tradita ante exsilium sunt conscripta, intellegimus, cur repetitiones inter haec et psalmos post exsilium compositos invicem factas inveniamus nullas.

---

illum non esse horum autorem, refutatur, si respicitur ad versus 15—18 capitis 32 cum versibus 30,25,13,19 comparatos. (cf. praeterea: Bredenkamp: Ges. u. Proph. p. 165 adn. 2, Riehm l. c. p. 231.)

Carmen quoque, quod ab Hiskia rege dictum esse traditum est Jes. 38,9—20, post exsilium prophetae libro interpositum esse, librorum Regum scriptori nondum fuisse notum, Stade demonstrare operam dedit. (cf. Z. f. A. W. 1886 p. 185 sq.) Quam ad rem exposuit, versibus 16. 18. 19. 20 demonstrari, in carmine illo precationem contineri, non gratias egisse poetam, ergo conditionem, in qua hic versatus sit, non congruere cum occasione originis ea, quam tradiderit Jesaiae liber. Recte tamen jam Smend (Z. f. A. W. 1888 p. 144 adn. 1) voces: יהוה לְהוֹשִׁיעֵנִי v. 20 interpretatus: J. ist mein Helfer (cf. Jer. 15,20,21, Gesenius — K. p. 335 adn.) affirmavit: voces: וְתַחֲלִימֵנִי וְהַחֲיֵינִי in versu 16 esse verba precationis prius factae. Jam versu 20 b dilucide comprobatur, carmen vere ab homine gratias agente esse compositum. Smend vero conjiciens, in versu 15 non וְאָמַר־לִי, sed וְאָמַר־לוֹ legendum esse, vocem subsequentem אֶדַּדֶּה non recte interpretatus est. Cuius vis nequaquam est: „alle meine Jahre ging ich dahin", — nam si haec esset, positum esset vel perfectum vel ו cum imperfecto —, sed: „ich sollte gehen", qua ratione recte transtulit Delitzsch: „still hinwandeln sollt ich". Quae vox respicit ad sanationem. Quod denique enuntiavit Smend: „hier redet am Schlusse die Gemeinde, die der einzelne nicht so ohne weiteres mit seiner Person zusammenschliessen kann", et iis, quae ipse dixit de Habacucis carmine (p. 66) et precationis Judith 16,2—17 et psalmorum multorum argumento (cf. § 5 III) refellitur: Ceterum carminis ipsius argumentum originis occasionem, quam Jesaiae liber tradidit, confirmat; enarrationem tam plenam vigoris et caloris, quam invenimus in eo, animi impetu ortam et ab homine morbo gravissimo affecto conscriptam esse, luce est clarius. (cf. Grätz: Geschichte 2. 1. p. 253.) Ne Reuss quidem dubitavit, quin traditionis illius testimonio fides sit habenda. (cf. Geschichte etc. p. 328).

Ut colligamus, quae e psalmis et inter se et cum aliis veteris testamenti libris collatis concludere possumus, constat, inveniri usque ad Jesaiae aetatem, si retro spectamus, vestigia certissima, quae vel demonstrent vel verisimile esse ostendant, illis temporibus jam psalmos nonnullos, qui nobis primo psalterii libro traditi sunt, exstitisse (15, 18, 24 etc.). Quod si constat, non solum hos sed etiam alios eosque plurimos psalmos, quos continet liber primus, jam aetate eadem et compositos et inter pios vulgatos fuisse, supra omnibus in partibus dissertationis intelleximus. Atque quia Jeremiae temporibus omnia fere carmina, quae inveniuntur in libro primo, vel jam exstitisse vel certe orta esse, e multis similitudinibus inter ea et orationes precationesque prophetae elucet, hac quoque argumentandi ratione sententia nostra confirmatur, psalmos l. I. ante exsilium esse conscriptos.

G. Disputatur de origine psalmorum libri primi deliberatis atque examinatis iis, quae Israelitae ipsi, quando conscripti sint, tradiderunt.

§ 16. Demonstratur, psalmos esse ante exsilium compositos.

Restat, ut pauca disputemus de iis, quae Israelitae ipsi de psalmorum origine tradiderunt. Quae quidem non argumenti loco afferri posse, nostris diebus inter omnes fere homines doctos constat (cf. Rosenzweig: d. Jahrh. nach d. bab. Exil p. 149—59). Neque tamen testimonium hoc omnino est omittendum. Chronistae enim temporibus jam omnes psalmos Davidi esse auctori attributos verisimile est (cf. supra). Antiquior aperte traditio, quae inter Israelitas vigebat, conservata est in psalmorum inscriptionibus, quae et ea et aliis de causis (etenim jam temporibus, quibus LXX versio orta est, inscriptiones nonnullas non interpretari neque reddere poterant, nullus psalmus inscriptione auctori alicui post Sacharjam prophetam est attributus, sin autem illae essent postea ascriptae, certe Esra, qui in Talmude poeta appellatur (cf. Rosenzw. p. 141) et Simon Justus non essent praetermissi) Esrae Nehemiaeque temporibus plurimae sunt carminibus adjunctae. Qua re sententia, haec aetate graeca esse composita, refellitur. Esrae vero aetate nondum floruisse artem eorum, qui ad historiae fidem non scribentes non solum sententias ipsorum temporibus vigentes patribus quoque attribuebant, sed etiam, quae a maioribus facta

esse enarrabantur (cf. nomina quoque) ad voluntatem mutabant (cf. quae de sopherim, qui dicebantur, audimus), ex omnibus concludere nobis licet, quae de Esrae Nehemiaeque sententiis et orationibus nobis tradita sunt. Etenim, si niti quis vult sacerdotum codice, qui dicitur, hoc sine dubio constat, contineri eo partes quasdam perantiquas, e quibus nuntius, a Mose librum universum esse conscriptum, divulgari poterat. Si vero psalmi tum demum essent orti et inscriptiones omnino ad voluntatem ascriptae, nimis audacter, qui eas ascribebant, carmina quingentis fere annis ante conscriptos esse dixissent. Nonne multo verisimilius est hac quoque de causa, a populo corpus quoddam psalmorum, Davidi autori inscriptionibus attributum, quasi patrimonium e temporibus beatis regni existentis conservatum, jam e captivitate in patriam reportatum esse, cui alia quoque carmina, quae post exsilium componebantur, postea addiderunt. Atque illius regis (cantorumque eius) nomen imprimis est conservatum, quia regnum eius praeter cetera felix fuerat et is carminum poeta in historiae libris antiquis appellabatur, omnes autem fere alii nuntii de poetis, qui fuerint, evanuerunt. Cur tandem, nisi traditio aliqua de psalmorum origine e nuntiis antiquis orta jam inter populum Esrae temporibus existebat, carmina partim Davidi partim aliis ascribebantur, aliorum auctores praetermittebantur, neque omnia uni illi attribuebantur? Textus denique corruptionibus, quae inveniuntur in psalmis permultae (cf. imprimis eos, qui locis compluribus nobis sunt traditi: ps. 18 — 2 Sam. 22, ps. 14—53) confirmari, carmina temporibus antiquis esse composita atque annos permultos per hominum ora et librariorum manus esse tradita, antequam sint in eam formam redacta, qua nobis sunt conservata, nemo negabit (cf. Olshausen p. 22).*)

H. § 17. **Conclusio.**

Ad finem pervenimus dissertationis nostrae de psalmorum, quos continet primus psalterii liber, origine. Invenimus omnibus

*) Giesebrechtii conjectura „dass die vorexilische poetische Litteratur wie der grösste Teil aller übrigen im Exil zu Grunde gegangen" vana est. Etenim carmina per omnium ora feruntur neque agris aedificiisque dirutis pereunt. Perierunt tamen tum certe carmina multa, laeta dico, hymni etc., quae exsilii temporibus ab Israelitis cani non poterant; primo vero libro traditi sunt psalmi lamentantes (perpaucis exceptis). Quid? nonne confirmatur sententia nostra eo, quod corpus illud psalmorum sine dubio antiquissimum nulla fere continet carmina nisi querentia, eiulantia, quibus eam ob rem exsilii temporibus lugubribus precantes uti poterant pii?

in disputationis partibus, nulla excepta, aeque non verisimile esse, psalmos post exsilium esse compositos, atque ante exsilium eos conscriptos esse, omnibus argumentis demonstrari. Quare nunc non dubitamus, iis, quae singulae argumentationis rationes comprobarunt, collectis hoc concludere: psalmi, qui sunt in libro primo, ante exsilium Babylonicum compositi sunt, exceptis psalmis 1 et 33, — de psalmi 2 origine dubitari quidem posse concedimus, sed eum quoque ante exsilium esse conscriptum, verisimile est. — Sunt ergo carmina, quae inveniuntur in primo libro, documenta gravia, qualis fuerit status internus populi Israelitici ante exsilium, quales fuerint et conditiones et opiniones de Deo etc. justorum illorum ab improbis contemptorum et oppressorum e temporibus antiquis usque ad exsilium, qua denique ratione prophetarum orationes doctrinaeque animis sint receptae a piis. Qui et in aliis veteris testamenti libris et his in carminibus iterum iterumque querentes quaerebant: cur patitur justus? Ad quam responsa nisi ad tempus non invenerunt neque absoluta, ne in exsilio quidem; quae iis dedit multo post captivitatem Babylonicam et suis orationibus et suo exemplo Dei filius:

Μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκα δικαιοσύνης,
ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

Finis.

Typis G. Pätzii (Lippert & Co.), Numburgi ad S.